PHILANDER PHILANAX DE NATVRA FINE MEDIIS IESVITARVM.

In gratiam ſimpliciorum Mortalium quotquot huc-usque Politicos iſtos callidiſsimos, Atheos, Magos, Veneficos, Regicidas Monarchiam univerſalem ſcele-ratiſsimè affectantes, &c.

Pro ſimplicibus Religioſis ac bonis viris habuere.



Anno 1619.

THE NEWBERRY LIBRARY

Case
F
39
.326
1619a

CICERO
in Orat. pro P. Seſtio.

Maioribus præſidiis & copiis oppugnatur Reſp. quam defenditur: propterea quod audaces homines, & perditi, nutu impelluntur: & ipſi etiam ſua ſponte contra Rempub. incitantur. Boni neſcio quo modo tardiores ſunt: & principiis rerum neglectis, ad extremum ipſa denique neceſſitate excitantur; ita vt nonnunquam cunctatione ac tarditate, dum otium volunt etiam ſine dignitate retinere, ipſi utrumque amittant.

47-2035

PHILANDER

PHILANAX

DE

Natvra
Fine
Mediis
IESVITARVM

IESVITÆ cum prius in ortu ante dimidium ſæculum perexigua Monachorum manus, & debilis eſſet, ab eo tempore portentoſum in modum aucti numeroque viribusque partim propria Virtute ac Prudentia (Scelus alii vocent & aſtutiam) partim Chriſtianorum negligentia, vecordia, diſcordia quæ illis partes Fortunæ fuere, nunc abiecto iampridem religioſo inſtituto, quod etiam dubium an unquam habuerint, ſolaque religioſa veſte reten-

tâ qua prætenta melius deciperent ad tractan=dam Politiam ſenſim devoluti tantum in eo ſtudio excellunt,ut eos Politicos omnium ſæ=culorum prudentiſſimos verſutiſſimoſque ſuarum Rerum proceſſus ſucceſſuſque demonſtrent, eoque nomine Regnis omnibus & Im=periis ſumme formidabiles, exiſtant ob imperandi ſummam cupidinem ſummamq; potentiam,ſummis artibus minimò annorum ſpatio comparatam.]

Horum ego Naturam Finem ac Media iam ſatis aperta fortiſſima quantum potero voce publicare contendo totus Orbis ut audiat, & ſerò licet hoſtes agnoſcat ſuos : Populique ſinguli tum iam decepti,tum decipiendi,atque ipſi ſimpliciores Socii,& Diſcipuli,& Confœderati, & Amici,&Fautores,&c.quos impoſturis ſuis nequiſſimè illaquearunt ſuſpectos eos tandem, meritoque exoſos habeant,eoque diligentius in poſterum ſibi caueant quò verſutiores iſti ſunt & religioſæ ſimplicitatis ſimulantiores: quini=mó ut ipſos univerſos ac ſingulos maturè de Mundo tollere cogitent. Ferro omnes atque i=gne ſequendo vindice. Quidni etiam ex inſidiis opprimendo:quidni venenis:Nam cuncta per i=pſos in hoſtem licent.Nec ſervanda fides Atheis qui nulli,qui nullam ſeruant. Reddite huic Se=ctæ duplum ſecundum mala quæ fecit no=bis.

NATV-

NATVRA igitur Ieſuitarum præſens religioſa non eſt, ſicuti callidè ſuis & aliis iſti Athei hucuſque impoſuerunt. Politica Secta eſt, & inſtitutum Politicum, & politica media, ſed nequioris notæ. Secta inquam, non Sectatores ſinguli, quales mancipia, quales ſimplex & deluſa Iuvenum, ſeniorumque cæco zelo ſeducta turba ſubſeruiens. *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.*

FINIS Sectæ iſtius omnium ſummè execrandus Monarchia Vniuerſalis ſibi propriè nō ligatis Hispanis vel Papæ conquirenda. Populorum itaque omnium quotquot Europam, Aſiam, Africam, & Americam tenent; Principum omnium, Regum, Imperatorum, Romani, Turcicique, Papæ ipſius, & Dominorum Inquiſitorum, &c. generoſa colla ſub Monachorum infirmorum ac ſimpliciumiugum ventura ſunt, ſi per Deum liceat. Generoſum nebulonum animum cernite Principes, Reges, Imperatores. An quiſquam veſtrum tantum cupere audeat, quantum Sacrificuli ſibi ſpondere, ſpondentesque procurare auſi? Generoſus hercle Ieſuitę conatus animuſque veſter: at non omnis æqua eſt & toleranda generoſitas. Suſpendioſa iſta eſt, & nullo non ſupplicio coercenda, vindicanda. Tollite, tollite peſtem iſtam mortales ocius, ocius ſiquid in vobis ſupereſt aut generoſitatis, aut prudentiæ: Crucifigite, ſecate, urite incen-

diarios iſtos,ſicarios, Regicidas,veneficos, magos, Sanctiſſimum Salvatoris Ieſu nomen Atheiſmo ſuo prætendentes ad humanæ gentis univerſę deſtructionem funeſtiſſimam. Sed non ſola punienda generoſitas: damnatiſſimo fini,damnatiſſima media ſimul ex carnificanda iunguntur:& iſta ſimul propalanda ut exinde univerſis conſtet mortalibus non religioſos aut religioſam ſimplicitatem ſervantes eſſe Ieſuitas: verum Politicos eos nequitię perdidiſſimę addictos,verſutiæque plusquam diabolicæ artifices.

Non poteſt mali finis ullum eſſe legitimum medium, ſed nec boni finis omnia poſſunt eſſe legitima. Ieſuitarum finis execrandus execrandiſſima adſciſcit media, quæ neque ad commendatiſſimum finem uſurpare fas eſt, qualia ſunt eorum per multa ab iſtis ad abominandę putidæque Monachalis Monarchiæ promotionem quotidie & intrepide ſed vaferrimè uſurpari ſolita.

Porrò Finis iſtius ſuperius declarati fons, à quo ſcilicet emanat,Hyperphilautia (in voluntate ſiue appetitu concurrenti poſita) ſed ad ſummum gradum evecta per artem, adeoque omnium ſceleratiſſima. Mediorum autem fontes duo Impietas & Prudentia (in intellectu) ſumma quinetiam utraque apud Ieſuitas; hæc

mediorum fons qua ſimpliciter media & bona bonitate Logica; illa mediorum qua impia ea ſunt & iniuſta. Quid enim Atheus non audeat appetere,opinari,agere, &c. cuius affectus nulla Chriſtiana, nulla naturalis moderatur æquitas? Pro regno maximè violandum eſt Ius, inquit Atheus ,quod etiam pro minimis licet, cæteri pietatem colant. Non mirum itaque ſi boni iſti viri leges omnes humanæ prudentiæ, quam nefariè ſint eſt ſine diſcrimine (ſed non ſine discretione)in agendo minus ſcrupuloſe obſervent Bonus Politicus,bonus diabolus.

Atheos eſſe Ieſuitas, & quarti gradus, apud omnes niſi apud faſcinatos conſtat, & conſtabit in poſterum clarius mea opera Deo dante ex actis ſcriptiſque Sociorum, etiam ex dictis inſigniorum Patrum aliquot, quæ ipſe cum aliis,quæ alii ſine me in Gallia,Germania, Polonia,Italia per familiaria colloquia cum ſtupore notavimus. Neque ut calumniarer nomen non prodidi, ſed ut aliquid viciſſim negotij faceſſerem Rever. Patribus qui Patriæ, qui toti Orbi tantum faceſſunt: neque me tectum puto, brevi quis ſim per Magiam ipſi divinatricem,perq; exploratorum ſagacitatem aſſequentur. Horum olim ego diſcipulus (pudet dicere) dicam ex chariſſimis hanc rependo gratiam gratioſæ gratuitæ ipſorum Inſtitutioni,non quod ingratus, ſed quod Eccleſiæ, quod Patriæ plus me

debere intelligam quam perditiſſimis hominibus utramque infœliciſſimè perdere cogitantibus.

Prudentes eoſdem eſſe, atque Artem Prudentiæ habere cuius præcepta ſequantur prudentiſſima ipſorum necvulgaris per totum Orbem negotiatio & agendi methodus luculentiſſime atteſtantur. Datur ſiquidem Ars talis ut à fratre accepi meo ſceleratiſſimæ Sectæ mancipato per contemplationem detecta, cuius finis ſit docere media ſive modos bene agendi quæ agenda ſint: agenda ſive bona ſive mala: actionis bonitas non ethica ſed Logica intelligenda; nec abuſus arti ſed artifici imputandus.

Ex hoc igitur utroque fonte derivant Ieſuitæ ſequentia Conſilia & Media.

CONS. I. *Scopum genuinum tegunt, atque huic alium laudabilem prætendunt.*

SCopus genuinus Ieſuitarum Hyperphilautiæ (inexplebilis) expletio, adeoque omnium quæcunque bona ab hominibus habentur acquiſitio. Nullos enim limites habet amplius avara anima quæ Chriſtianæ primò, tum naturalis æquitatis clauſtra tranſcendit. Inter bona

primas

primas tenet ex omnium ſuffragiis Monarchia, eaque univerſalis, pro qua ſola jura violare liceat, ſcilicet. Monarchiam univerſalem affectare Ieſuitas ex actis ipſorum Sectæque regimine obſervato perſpicuum. Aſt appetitam eoſdem Monarchiam poſſe conquirere, & brevi niſi proſpiciatur demonſtrari poteſt longè facilius. poſſe ipſorum in aperto eſt, velle autem occultiús; at ex ipſo poſſe velle ipſum deprehendi poteſt ſi indolem ſpectemus hominum, quæ vafra eſt, ambitioſa, impia; ſi acta, Regicidia, popularis auræ captationem, populorum contra populos funeſtiſſimam immiſſionem, & excitata ubique bella ciuilia, &c. Opum immenſarum congeſtionem, & reliquum inſtrumentorum apparatum ad Monarchiam uſurpandam idoneorum. Annon quem venena miſcentem videris eum veneno lædere cogitantem, læſurũque dixeris; eumque propter ea illico abſque heſitantiori conſultatione perdendum ut aſpidem, calcandumque ut araneam? ſic Hala, Naſica, &c.

Neque ſuſpicionem eluit quod Pontificis Rom. creaturæ ſint atque mancipia; quodque Hiſpanicę factionis ad Monarchiam univerſalem pariter contendentis aſſeclæ ſint & inſtrumenta, & velut auxiliarii milites, atque idcirco abiectioris animi, & impotentes ipſi de re tam operoſa, factoque tam generoſo cogitare

nequeant, ac vel omnino non, vel alieno nomine Monarchiam invadere meditentur.

Non ponimus extra fidem Papæ primum ſeruiſſe Ieſuitas, ad cuius Monarchiam utramque (Spirit. temp.) ruentem ſuffulciendam inſtituti fuere. At vero nunc ubi domino comparatam potentiam ſuadente Hyperphilautia, furtim ad ſe pertraxere, atque illo ipſo in rebus agendis minus diligente minuſque naſuto, credibile eſt, Ieſuitas non amplius ulli hominum ſervire, niſi mutuo forte ac quatenus pro Societatis bono expedit, ſed ſui iuris factos, jure Atheorum nulla jura ſervantium, ſibi ſolis in poſterum velle quæſitum imperium etiam cum Papæ ipſius olim Domini cæde, & Papatus uſurpatione.

Neque negamus hodie etiamnum Hiſpanico Quinque viratui mutuas operas præſtare Societatem. Sed cum par utrique parti ſit ambitio, & æqua calliditas, atque perfidia, quidni exiſtimemus Hiſpanorum armis propriiſque fraudibus domitum Orbem ad ſe pertracturos bonos iſtos ſocios? Prævalet erudita & ex arte pugnans Ieſuitarum aſtutia militari Hiſpanorum fortitudini, & ipſi empiricæ Quinque virorum aſtutiæ. Hos igitur tandem armis victores (hoc ſuppono) rerumque dominos una cum domitis gentibus ſibi ſubiicere fraudibus Ieſuitæ cogitant, & armis rebellantis Orbis. Sic Roma Cæſari vicit Orbem. Quidni etenim ipſi in

dies

dies prudentia, & aſtu, & uſu, & potentia , & autoritate, & gratia apud ſuperſtitioſam mortalium plebem invaleſcentes venturo illo tempore ſuarum fraudum in immenſum aucta virtute oppreſſis populis rebellionem ſuadeant, ſuiſque auſpicii, armorum in Hiſpanos converſionem quæ tunc ad recuperandam libertatem impetrabuntur, longe facilius quam nunc ad amittendam? Temporalem igitur Hiſpanorum Dominationem proculdubio promovent Ieſuitæ, ut eam poſtea nil tale timentibus aſtu ſurripiant: aut ſi minus ſuccedat ſaltem rebellantium populorum animos opinione beneficij ob recuperatam ſuo conſilio libertatem arctius ſibi devinciant, & ſpiritualem ſuam Dominationem Papas imitati quos ingenio ſuperant ſuper animas mortalium gratioſam magis ac magis diuturnam efficiant. Scopus igitur Ieſuitarum (priori ſubalternus) Monarchia Univerſalis directè ſibi, vel indirecte (nil refert) conquirenda.

CONS. II. *Hunc ſuum ſcopum omnium odioſiſſimum, ut libertati univerſorum hominum imminentem, qua nil ducunt charius , in hanc uſque diem Religionis Romanæ perditius amatæ pallio callidè prætexerunt,*

texerunt, & Monarchiæ Spiritualis non minus execrandæ in animas conquirendæ ſimulatione.

PRudenter admodum ac plusquam gemina induſtria; ſiquis enim ſcopus ſcopo prætendendus hic omnium aptiſſimus. Quid enim Religione apud plebem ſacratius? quid amabilius? Romana præſertim pſeudocatholica quæ in Ieſuitarum ortu à Chriſtianis ferè univerſis in maximo habebatur pretio florebat, vigebat, adorabatur; Cuius ſcortationis vino inebriati iacebant incolæ terræ. De Religionis ac Religioſorum autoritate uſiva, abuſiva quanta ſemper exſtiterit profuſius nil dicam; quantum autem emolumẽti Ieſuitę de Religione dicamus, ſuperſtitione Romana percipiant ex ſequentibus intelligetur. In hos autem fines potiſſimum videntur religioſam profeſſionem ſuſcepiſſe. I. Vt ad ſua quoque opera politica uſurparent autoritatem religioſam omnium potentiſſimam teſte nova veterique Hiſtoria, & ipſius Papę prius egeni ſacrificuli ſuper Reges ſimpliciores non ſatis miranda per ſuperſtitionis & Erroris efficaciam promotione. His exemplis in poſterum ſapite Reges, & Populi, ſacrorumque myſtas in ſtatu humilitatis & paupertatis continete, (quod prudenter Othomannica familia uſurpat) neque veſtra ingenia abuſivæ iſtorum eloquen-

eloquentiæ mancipate. I I. Vt ſub prætextu promovendę per totum Orbem Religionis ac Regni Dei Regnum Papę proferrent: immo ſuam ipſi Monarchiam tutius ac ſine ſiniſtra hominum opinione extenderent. I I I. Vt ſua ſcelera impune perpetrarent tanquam pro bono Eccleſiæ patrata. Sic Regum ſub Hæreticorum fautorumve nomine trucidationes; populorum in populos concitationes ſub prætextu pellendorum hęreticorum ; juvenum nobiliorum, divitum, vel ingenioſorum raptus iniquiſſimi, Per calcatum perge patrem, &c. I V. Vt ex vitæ Monachalis privilegio ab incommodis vitæ plebeiæ liberi liberius ac ſine curarum matrimonialium & ſimilium interpellatione Meditationi & Actioni politicæ vacarent. V. Vt per Confeſſiones auriculares commodius arcana cordium & inclinationes & affectus hominum explorarent quæ ſcientia politicis apprimè neceſſaria & utiliſſima. VI. Vt lucrum de ea captarent per templorum, collegiorumque fundationes, & liberaliores eleemoſynas erga paupertatem vouentes, &c. VII. Vt ſi forte caſu vel hoſtium ſagacitate nequitia ſua in lucem veniret, ut brevi fiet, à clementia pij populi (ſuperſtitioſi) veniam facilius impetrarent. Reddite huic Sectę duplum, &c. Et certe Regum ac populorum iuſtiſſimę indignationi digniſſimiſque crucibus Papas ſceleratos reſpectus religioſus

ligioſus nō raro ſubduxit. Sunt & alij fines infiniti, & emolumenta Monachalis togæ ſub qua quantū lateat impietatis Deus viris ſapientibus conſcius. At huic prętento ſcopo ſubordinatus alter acceſſit. Namq; cū Monaſtica vita contemplativa ignava contenti non eſſent Ieſuitę, & cæteros Monachos ut ingenio, ſic generoſitate vincentes activam adiunxiſſent. Verbi Divini Papalis ſcilicet prædicationem qua Chriſtianorum animos in fide Romana retinerent, vna etiam Iuventutis inſtitutionem ſuſcepere, ut viderentur ſuperſtitionis fundamenta jaciendo in puerorum animis, hoc medio priorem ſcopum melius aſſequi. Sed hi ſunt illius inſtitutionis fines genuini. 1. ut totius plebis generalius animos ſimplices triplicis opinione beneficii ſibi mancipent. 1. quod Sapientiam divinam 2. quod humanam qua vtraque nullum maius apud mortales bonum. 3. quod gratis. 2. Specialius ut parentum pauperiorum ditiorumque, ex his pecunias copioſas; ſed ſub alio quam ſub Scholagii nomine: ex illis vota preceſque & laudes nec non ſeruilia opera à nonnullis extorquent. 3. Specialiſſimè ut ingenia tenera puerorum ſibi mature devinciant & mancipent. Nam quid ſe non illis poſtea debere fateantur à quo bene-eſſe acceperunt: Vitam ipſam, animam, corpus, fortunas, favorem, operam omnem tam deffenſivam quam offen-

offenſivam adulti ipſi, viri facti, & ad honores ſuæ Reipub. promoti grati deferunt: & iſtorum plures qui ſtudiis applicantur in claros viros evadunt, & honeſtum nunquam non in Repub. locum obtinent. Parentes ipſos, Patriam ipſam, Regem ſuum ac Principem citius prodant quam Præceptores, quibus confidentius imprudentius ob profeſſionem religioſam coniunctam maxime arcana pectoris aperiunt, ut Patribus, ut amicis, ut iis qui quondam benefecere, ac nunc etiam ex præſumptione nonniſi benefacere cogitent. Dulcia philtra ſenſim abſque ſenſu ſumentes labefactantia, cæteros contagio inquinantia, plusquam Circæa quæ non in pecora, ſed in Ieſuitas, non corpora ſed animas alterant. Hoc igitur Inſaniæ poculo amicos ſibi fautoreſque maximam partem mortalium & faciunt & retinent, plebeios, Nobiles, Duces, Reges, &c. Et jam univerſos hoc philtro infeciſſent niſi caſusve Deusve, atque æmulorum Monachorum Scholariumque Invidia, & hæreticorum antipathia, & prudentum cauta ſagacitas obſtitiſſent. 4. Vt non fautores modo, ſed & Socios maximè hoc medio idoneos lucri faciant: & hoc prudentiſſimè in Societatis commoda inſtitutum: Nam cum Societas ſociis opus habeat ut ampla fiat, & ſocii non promiſcui ſed cum delectu, ad melius, ſint admittendi, utique hæc ratio commodiſſima viſa

eſt

eſt iuventutem inſtituendi, nimirum ut per plurium menſium annorumque ſpatium tacite exploratos pueros ad ſuum inſtitutum aptos judicatos Societati adciſcerent. 5. Vt ſi qui forte adulti, vel ob primam inſtitutionem, vel ob Romanæ ſuperſtitionis abiurationem profeſſioni Ieſuitarum religioſæ mancipari nollent; ſaltem prophanæ iſtius Inſtitutionis gratia mancipentur: 6. Vt filios hæreticorum pauperiorum gratis Ieſuitici gratia ad iſtorum Collegia ire coactos etiam locupletiorum ob profectus famam; pervertant. 7. Vt puerorum ingeniis quo tenacius hæreat hæreſim Romanam eamque circulatam quinteſſentiatam inſtillent. 8. Vt omnium mortalium facultates animi, corporis fortunę in Scholis ſuis olim inſtitutorum; & iſtis medi-antibus familię totius atque amicorum, &c. perſpectas habentes poſtmodum ad ſuum nutum eoſdem melius ex iſta cognitione flectant atque gubernent. 9. Vt ſub tam plauſibili prætextu Collegia ſua turrita quę Arcium loco ſunt hoſtibus non tantum non impedientibus, ſed omni ſtudio & alacritate (ſtupidiori) promoventibus per omnes Orbis Provincias exſtruant & communiant. 10. Vt promptiores ad parendum diſcipulos ſibi pręparent ſiquid in poſterum iuſtius aut iniuſtius ſint imperaturi: profundius etenim in mollibus pue-

rorum

torum animis reverentia magiſtris debita imprimitur, ac ſilentioſe ab illis cæca vovetur iuraturq; Obedientia. 11. Vt promptiores pariter proclives que ad parcendum, tegendaque ſcelera ſi forte litterati ipſi, & plebe ipſa naſutiores, technas Ieſuitarum ſubodorarentur.

12. Vt ad ſuam exitialem libidinem juvenes informent, qui melius ab aliis, & in uſum Reipub. atque in iis duntaxat artibus inſtituāt quæ plus vanitatis habeant quam fructus: Sic circa ieiuna grammaticalia, & linguarum ſtudia, & nugas Rhetoricas, & tricas Dialecticas liberos noſtros occupant nil ſolidæ Sophiæ, aut veræ Eruditionis animis ipſorum ingerentes. Hac ſolertia ſpem noſtræ meſſis evertunt, & agros noſtros non vtili ſemine, ſed zizania, ſed ſuperſtitione (ne dicam impio & execrando dogmate) conſerunt. Hinc evenit quod cum Reipub. adminiſtratores idoneos ex noſtris quærimus, non inveniamus: Plurimos equidem bonos grammaticos, humaniſtas, Rhetoras, Sophiſtas, ex Schola Monaſtica prodeuntes: raros vere prudentes, & hos etiam ad unum omnes hoſtibus præceptoribus addictos, mancipatos. Iſta ſunt inter alia gratuitę impoſtorum Inſtitutionis emolumenta non nobis ſed ipſis accedentia. Huius liberalitatis uſu dextero Collegia Caſtella dicamus ubique terrarum conſtructa ſplendidiſſima & munitiſſima, & nummos ſi-

ne numero, &c. breuiſſimo temporis ſpatio ac-quiſivere. Et hæc Ars Artium quæ dando centuplum accipit. Docete nos quoque gratis hanc artem Ieſuitæ.

CONS. III. *Omnia tentant, & præſtant, ut hæc circa finis occultationem fraus facta nulli mortalium innoteſcat.*

IMmò nec ulli confœderatorum, niſi conſciorum: nulli Sociorum, cæcam ideo vouentium obedientiam, niſi probatorum ex Regulis Societatis: nulli denique hoſtium, cæteros omnes mortalium puta. Itaque hypocriticè admodum religioſam ſimplicitatem affectant ipſi, ſuoſque ad unum omnes eandem ſervare quam diligentiſſimè præcipiunt, & omnia gnaviter peragunt ab externo quæ bonos viros decent. Exadverſo ſedulo cavent ne politici appareant, & ad politiam tractandam nonniſi per occultos meatus accedunt, ac tanquam ſacra tractaturi S. Rom. Eccleſiæ negotia. Hinc eſt quod ſimplex mortalium turba & naris obeſæ Magnates ubique ferme gentium Atheos, iſtos pro religioſis, ſimpliciſſimis & viris optimis habeant nil niſi ſalutem animarum ſpirantibus; adeo facile eſt mundum volentem decipere.

Ex

Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Vitam & mores ſpectate ſeorſim: acta, ſcripta, quæque latent peiora puta. Quod genus hominum in Venerem effuſius? de maſcula nil dico, de qua multi hęretici garriunt, ac ſi Ieſuita ſenior cum iuniore, &c. quot vndiquaque de Patrum patriſantium laſciuia rumores; quoties per totam Italiam dicentes cives ac nobiles ex naſutioribus audias ſe non permittere uxorib. ut Ieſuitas Confeſſionis gratia conveniant quod corruptionem fragilis ſexus vereantur? Quoties egomet, quoties condiſcipuli in Collegio Ieſuitico ad ſcorti ut ad B. Virginis conſpectum (parce Numen) pio pauore conſternati procubuimus? Vultis libidinum veſtrarum Patres exempla proferam: aut atheiſmi notam veriſſimam ferte patienter: aut ego hac quoque parte Societatis veſtræ famam lacerabo pertinax; apud intelligentes loquor. Et ipſa tota pro ſingulorum plurium peccatis variis & infinitis & horrendis plectenda quæ hic ſingula perſequi non vacat, pœnam differo.

Talis itaque ſcopi Ieſuitici declaratio: talia circa hanc detecta conſilia. Nunc Media rimemur.

MEDIA varia eſſe ſolent pro Actionum varietate: Sunt tamen quædam generalia, ut præparativa & Activa: At ſingula media ſunt

ſubſequentium præparativa uſque ad ipſum agendum finale.

Hęc Actio ex relativis, & hic illius proceſſus: Agendum finale Ieſuiticum primo conſiderandum Monarchia univerſalis, hoc conſiderato agens demum & patiens (ſi relativa actio eſt ut iſta eſt) conſideranda veniunt:

Agens Societas Ieſuitica.
Patiens Orbis univerſus.
Agit Societas, ut aggreſſor.
Patitur Orbis, ut aggreſſus.

Ita quotquot in hoc Orbe homines viuunt eos in duas partes eſſe diviſos cernitis: namque aut captantur aut captant.

Aggreſſor cum aggreſſo decertans duo habet agenda (quæ duo ſumma actionis media.)
1. Vt virtutem propriam roboret quo validior evadat ad offend. deffendendum. 2. Vt hoſtis aggreſſi virtutem actiuam infringat quo invalidior evadat ad deffend. offendendum. Ab iſta propriæ virtutis ad extremum roboratione & adverſarię infractione quę ambo agendo perficiuntur nihil agendum ſupereſt niſi ipſius Agendi abſolutio, & operis coronatio, & hoſtis infracti ſuperati ſpoliatio, & Monarchię Vniverſalis occupatio poſt activa, atque huius occupatæ fruitio in quiete & pace: Atque

ita

ita Media qualiacumque ad præſentis Actionis gen⁹ pertinēta ſub duplici iſta claſſe reponūtur.

Porro Virtus Actiua vtraque tā agentis qnam patientis offenſiva deffenſiva quatuor his partibus conſtituitur, Intellectu, Voluntate, Audacia, Poteſtate.

1. Intellectum ſive cognitionem tam finis quam mediorum, &c. homini ad recte agendum eſſe neceſſariam pro confeſſo eſt.

2. Voluntatem pariter, quam excitat appetitus Boni fruendi omnibus à natura inſitus; intendit ſpes boni acquirendi, quam rerumconſtitutio parit cum Iudicio recto ſpectatarum, minus rectum vanas ſpes inducit: appetitus mali (maioris) fugiendi voluntatem cogit. Pars hęc (volūtas) organorum activorum motrix, ut illa (Intellectus) directrix.

3. At neque hæc neque illa ſufficit. Voluntas ſpe Boni fruendi ad agendum impellitur eadem metu mali ſiue periculi ab agendo retrahitur. Nulla autem actio ſuo malo vacat aut periculo maiori minori. Opus igitur etiam Audacia quæ animum ſcientem volentemque confirmet : Et plurimi in rebus agendis ingenioſi, atque earum cum fœlici ſucceſſu peragendarum ſibidem perſpectas occaſiones nacti atque agere percupientes, natiua tamen puſillanimitate minima quęque pericula formidante & Intellectum & Voluntatem ur-

gentem euincente retracti, necnon ignauia laborem omnem ut malum aliquod refugiente ab agendo abſtinent. Hæc pars ab Iraſcibili, voluntas ſive appetitus à concupiſcibili, Cognitio à Rationali animę facultate.

4. At neque tres hæ ſimul partes ſufficiunt. Imperator ſine exercitu, aut miles ſine gladio ut ut bellare ſciat, ut ut velit, ut ut audeat iners tamen eſt: inſtrumenta accedant oportet, ſiue agendi media ab hinc ad agendum uſque finale intercedentia varii generis. Horum præſentia Poteſtatem parit, quæ quarta virtutis activæ pars & poſtrema. Et multi ſcientes, volentes, audentes vel omnino non vel ex temeritate agentes, infœlices rerum tulere ſucceſſus. Tres priores à nobis: hæç à fortuna pendet.

Nunc videamus ac primo qui virtutem propriam roborent Ieſuitæ; tum qui Mundi totius infringant.

INTELLECTVM propriũ roborant Ieſuitæ.

CONTEMPLATIVUM cognitione omnium rerum. Ea namque dux & lux actionis, ut aiunt, ideoque antequam agas, & agendum ipſum, & modus agendi præcognoſcenda: nec non ea omina quæ vel finem vel media quaqua ratione attingunt ut tanto rectius agas. Ieſuitę hominum prudentiſſimi nihil cognoſcendum prætermittunt, ut quam rectiſſimè agant

Ita-

Itaque Scibilia omnia explorant ex Arte meditandi, lectione, auditione, &c. cuiuſcumque generis: ſcientias omnes, artes omnes triuiales, abſtruſas, Magicas, Necromanticas, &c. ad uſum excolunt: quæcumque dicuntur, aguntur, per ſuos exquirunt & reſciunt. Mirum quantum circa diſciplinas prophanas (de Sacris nonniſi per accidens curant) quantum circa Politicæ ſcientiæ atque Rhetoricę ac Prudentiariæ. Aſtutiariæque cognitione deſudent abſolutam. Circa Mathematicas quinetiam & ipſam militarem Sacrificuli ipſi, chymiamque & Ariſtologiam, caballamque & quotquot à vulgo notæ ignotæque! Ieſuita eſt omnis homo tam ſciendo quam agendo. Atque in hanc gratiam quotquot in ſua arte præſtantes viros Pictores, Fabros, Chimicos, Mathematicos, &c. (Ingeniis uti ſcientes longè melius quam viri noſtrates) quotquot ingenioſos & ad meditationem natos adoleſcentes offendunt, eos ad ſe pellectos in concluſis Collegiorum penetralibus in veteri & novo orbe detinent, in officio aſſiduos queis remeare gradû nunquã datur, & ad quos penetrare nec ipſi Papæ conceſſerint Ieſuitæ. Quantum pariter circa rerum civilium (pub. priuatarum) quæ à Principibus plebeiiſque agitantur cognitionem aſſequendam allaborẽt, illud paulo notius, & hæc Politicis omnino neceſſaria, ut Medicis

 Ana-

Anatomia(viua, mort.)ſubiecti hominis. Et maxima victoriæ pars in notitia hoſtis poſita. Orbem autem vniuerſum Ieſuitæ pro hoſte habent aggreſſo, ſuperando, ſpoliando. Huius vniuerſi notitiam ut ſibi comparent mille artes uſurpant quas Deus tandem, quas tempus in apertum proferet. Et ad hunc finem non parum confert Religio Rom. Plebs etenim ſuperſtitione deuota nobiles ignobiles, viri, fœminæ (atque ipſi Magnates apud Ieſuitas, vt apud bonos viros & ſanctiſſimos Religioſos, per cōfeſſiones auric. intima ſui cordis ſenſa eloquuntur: & boni iſti viri de ſpiritualibus minus anxij priuata omnia & domeſtica nil ad rem ſacram pertinentia propria & aliena, & ipſa pub. negotia callidè ex bardorum iſtorum reſponſis expiſcantur. At cum non omnia, neque omnium hominum utpote prudentiorum, hæreticorum, &c. per Confeſſ. auric. hauriri poſſe intelligerent, alias adiunxere technas. 1, Cōſiliarios & familiares Regum ac Principum auro corrumpunt, ut ex iis dominorum arcana recipiant. 2. Vxores magnatum præſertim atque nobilium, etiam plebeiorum apud quos arcana deliteſcere coniectant Auguſtum Imp. imitati cōnſtuprant, ut ex cōnſciis adulteris per Venereas blanditias arcana maritorum eliciant. 3. Exploratores callidos nebulones probeque inſtitutos emittunt per aulas Princi-

pum,

pum, per oppida, fora, compita monachorum eiuratorum habitu, militum, mercatorum ſtudioſorum, quidni Legatorum, &c. qui ſubſiſtentes vel diſcurſantes arcana omnia ex minus naſutis emungant. Talibus aula nulla vacat fucis. Cauete ab iſtis principes: veſtros quinetiam Cõſiliarios habete ſuſpectos. Princeps ipſe prudens eſto ut mercenaria prudentia non egeat. A veſtris etiam timete uxoribus; Nuſquam tuta fides: exempla præ oculis. His & aliis artibus ſine numero, nihil in toto Orbe geritur, dicitur aut cogitatur, quod non Regulis iſtis illico pateat, quorum quam Regum longe longiores manus, & oculi & aures plures & acutiores, quoniam prudentia maior.

ACTIVUM arte & uſu. Arte Prudentiæ de qua ſuperius quæ prudentiam nativam dirigit in bene agendo, ut Ars Logica rationem ſiue Iudicium natiuum in bene iudicando, Ars memoriæ memoriam, Ars meditandi phantaſiam ſiue ingenium, &c. An nihil artium creditis quam quæ à veſtro Ariſtotele traditæ; ô ſcholarem ſapientiam! De quolibet agibili datur Ars, ut de quolibet ſcibili Scientia, de univerſali univerſalis, de particulari particularis. Prudentiſſimi hominum Ieſuitæ ex iſta methodo iuniores ex Sociis, quos nonniſi bene natos nativaque pollentes prudentia recipiunt, ad res bene gerendas inſtituunt, & ipſi ſua negotia

diſponunt ex ea, geruntque; ob idque tantum cæteris ex vulgo Politicis anteſtant quantum empirico eruditus medicus. Naturæ & Arte Vſus accedit; frequentes in Aulis iuniores cum ſenioribus maturo ex arte iudicio rimantur omnia, percontantur, examinãt, ruminant, concoquũt. Adhæc ex Patrum, ex Sociorum conſortio in rebus agendis verſatiſſimorum priuato quoq; ſtudio ad praxin informantur. Quid plura? Debiliorem potentior nunquam non opprimit, & imprudentiorem prudentiori ſervire ratum natura voluit. Certiſſimus igitur Ieſuitarum prudentiſſimorum de Mundo minus prudenti triumphus & ineluctabile fatum niſi quam citiſſimè ex noſtris huic iam pene victori exercitui ſimilis alter opponatur. Alios 50. annos victoria bene utenti ſua concedite, & totum impleverit Orbem. Reges attendite, veſtra intereſt. Populus brutus modo ſine privato diſpendio id fiat dominum mutare non curat.

Huc refertur Eloquentia actiui intellectus pars ex inſignioribus. Hæc potentiſſima Politicorum machina ad plebis, ad magnatum capiſtrata ingenia huc illuc flectenda, torquenda. Ieſuitæ hominum maximè eloquentes, neque tam in dicendo ſcribendove copioſi quam ſubtiles & dexteri hac inſignius abutuntur ad Regum, Principum, amicorum, inimicorum & promiſcuæ plebis animos utilibus Societati erroribus

ſoribus illaqueandos. Hanc natiuam, ut & alias Ingenii facultates utiles in admiſſis arte & uſu intendunt: Arte quam non ita pridem inuentis addentes Ariſtotelica, quidni? vulgarique qualibet longe magis ingenioſam ſpeculando detexerunt. Hanc nulli exterorum gratis erogent. Fecem egerunt in ſcholis vinum ſervātes ſibi. Nec mirum ſi tot ac tantis artibus in abuſum verſis, nec novitate ſolum ſed & bonitate triuiales vincentibus inſtructi lectiſſimi ipſi ſummaque & induſtria & ſedulitate à pueris per maxime ingenioſos præceptores inſtituti, Politicos noſtros in Scholis triuialibus triuiali modo, per triuiales homines in ſcholaribus argutiis inſtitutos bene agendo ſuperent quos bene dicendo. Melior ſiquidem muneris politici pars dicendo geritur, & quo melius dixeris eo melius egeris.

Huc quoq; pertinet Conſilium deliberativæ facultatis opus ex rerum agendarum contemplatione deductum. Prudentia ſi in bonum finem tendat nobile nomen retinet, ſi ſecus, aſtutia à plebe vocatur. cur nō idem de Logica, Rhetorica; &c. Sic conſilium ex prudentia nomen retinet, ex aſtutia fraus dicitur & dolus. Conſilia Ieſuitæ fraudeſque in omnem ſenſum caſumque mature parata ſemper in promptu habent: atque in eam gratiam lectos non paucos ex ſuis huic operi deſtinatos in cameris

aſſeruant

aſſeruant Bronteſque Steropeſque qui fulmina Patribus fabricent. Hi negotiorum omnium humanorum pub. priuatorumque tabulam ob oculos habentes, & ex cartis exploratoriis quæcumque ab hoſtibus puta Regibus ac Populis vniuerſis aguntur aut agenda deliberantur cognoſcentes Conſilia, tum demum ſua antitheta ex methodi legibus efformant, & efformata ad R. Paternitates tranſmittunt : & his deinceps per Practicos demitur additur pro circumſtantiarum ratione. Tumultuaria, Chriſtiani, veſtra Conſilia, diſſipata, empirica, improuida non mirum ſi improſpera.

Atque ita de Intellectus Ieſuitici roboratione.

VOLVNTATEM roborant.

APPETITIVAM Philoſophiæ Impię præceptis, quæ ſine impietatis horrendæ crimine proferri in vulgus non poſſunt: inuitis autem ſpiritibus occurrunt per inania non terminati ſcibilis aera vagantibus: neque venena occurſu nocent ſed admiſſione, ſed uſu: neque volucrum ſupra capita volatus impedibilis, &c.

SPERATIVAM emolumenti, Totius orbis (& veteri novus nuper acceſſit amplior & ditior ſpoliandi contemplatione. SPERATIVAM ſucceſſus : 1. Obſervatione infirmitatis Humani generis Abſolutæ & perpetuæ pluribus partibus conſtitutæ, quarum præci-

puæ

püæ Imprudentia & Diviſio. Imprudentia in plebe inſignis & euidens: in Rectoribus populi non adeo minor, ſed ob fortunæ ſplendorem obſcurior: & iſtud ex hiſtoria ſæculorum omnium clarum, quam Ieſuitæ longe ſolidiori iudicio perpendunt quam vulgus philoſophantium. Diviſio per regna, religiones, linguas, mores, &c. Vnde odia ingenita populorum quæ quidem ſuſcitata fouent & intendunt, latentia ſuſcitant, & de potentia in actum promouent Ieſuitæ, ut mutuis bellis populi atterantur COMPARATÆ atque pręſentis. Quod unquam ſæculum maior inuaſit labes quam iſtud extremum ſuperiorum omnium corruptiuum fundum, in quo filius hominis rediens non inueniat fidem ſiue religioſam ſiue ciuilem; ii. Obſervatione ſuarum virium, MOBILIVM quæ de die in diem nec lente invaleſcunt, veluti Prudentiæ, Eloquentię, Sociorum, fautorum, ſubditorum, opum, &c. IMMOBILIVM, Status religioſi, confœderationis cum Papa & Hiſpano potentiſſimis ambobus ſemper cultæ, &c. Item ex obſervatione fatalis ordinis (quidni & illud) ex Aſtrologia, Magia, &c. optāda forſitan omnia Societati pollicentis (ad ſęculum.)

AVDACIAM tam periculi quam laboris confirmant ſapientię cuiuſdam præceptis ſiue Stoicę, ſiue alterius, dicamus Ieſuiticæ, piis impiis

piis. Hæc partim ex Ethnica, partim ex recenti per meditationem adiecta concinnata ſolis iuratis Patribus in uſum venit. Huius meditatione frequenti ac lectione generoſas animas ut cibo corpora ſuſtinent. Quidni & concionibus & Sacramentis Loyoliſticæ inſtitutionis; Diabolus Dei ſimiam agit: & hæc atheis pro religione: nam quo quæſo vinculo animas impias & infidas alii aliorum ad mutuam fidem obſtringerent & æquitatem ; ſubodoraui, ſubaudiui ; ſubuidi tale non nihil ab eo quo cum ipſis familiarius agebam tempore. hic uſus epoches ; neque negem neque affirmem. Huius diſciplinæ pars una ex multis & omnium nobiliſſima apud ipſos Effectivam Activæ ſuperiiciens; Heroicam vocant, ſummum ſcelus ſummæ virtutis nomine ad commendationem inſignientes. Hæc Regicidiorum magiſtra execranda, & conſpirationum in vitam Imperatorum Regum ac Principum. Neque ipſis alia quæritur arte potentia quam per potentiorum oppreſſionem: tollendus is primo in cuius locum ſubrogari velis. An clementiores Papæ qui Regibus ſe viuis humano altu ſuperponunt: an hi qui mortuis, qui cæſis, qui parricida dextra truculentiſſimè obtruncatis; Babylonis peccata ad culmen, ad Cœlum pervenerunt. Hæc eadem farialis ſapientia fortitudinem facinoroſam inducit, & intercep-

ptos

ptos ſocios ad pertinacem potius mortem & tormenta & ſupplicia immaniſſima quæque perferenda componit, quam vel Sectæ conſilia, vel complices prodant : Tanta eſt vis artis ut etiam ſui ſcientes fallat, & leges ex legibus ponat. Hæc denique animos parat, & ad labores invictos euincendos pro Generoſæ Societatis conſiliis in actum promovendis efficaciſſimè ſtimulat, præmia laboribus temporalia proponens animæ gaudia ex appetituum ſatisfactione meditationis, tranquillitatis, libidinis, gloriæ, &c. malorum fugæ, paupertatis, vitæ plebeiæ exoſæ, &c.

POTESTATEM roborant Ieſuitæ inſtrumétorum acquiſitione, & uſu.

INSTRVMENTA varia pro Agendorum & Agentium varietate. Agendum (cuius conſideratio ipſius patientis conſiderationem coincludit) Monarchiæ vniuerſalis uſurpatio. Monarchia vniuerſalis iiſdem acquiritur modis quibus particularis. Regnum unum aliquod acquiri ſolet amico vel hoſtili modo. Amico ; atque adeo præſtantiori , cum ſcilicet animos hominum nobis amicos facimus , ſiue noſtri amantes ; vt volentes , ſcientes ſponte nec ægrè ſe ſubmittant : nam qui amat patitur & amato ſeruit quodammodo , quod comprobant

amaſii

comprobant amaſij amaſiarum ſe mancipia verbis & rebus profitentes. Amoris autem huius demerendi modi tres. 1. Vtile. 2. Iucundum. 3. Honeſtum. quartum Neceſſarium adiici poteſt: qui amor ob mali maioris fugam naſcitur inter hoſtes duos communi hoſte ſuperueniente metuentiori.

Vtile primum omnium frequentiſſimum potentiſſimum ad plebis auarę demerendam beneuolentiam, ex naturæ humanæ ad Auaritiam propenſione.

Iucundum alterum ab iſto non inefficax, ad hominũ animos ſibi deuinciendos ex nat. hum. ad voluptatem propenſione.

Honeſtum tertium, & iſtud non inualidius animos hominum mancipat honore gaudentium ſiue vero, ſiue falſo, ex nat. hum. ad ſuperbiã propẽſione; porro honeſtus ille, philoſophicus, qui ex virtute naſcitur nullus eſt, cũ virtus nulla ſit hoc ſęculo apud mortales, ideoque nec ulla fœlicitas.

1. PRIOREM conſequimur Beneficiis veris, falſis, iiſque Pręſentibus vel Futuris.

Beneficia ſpiritualia ſunt vel temporalia.

Spiritualia conferuntur Docendo verũ DEI verbum: Eccleſiam propagando: Hęreſes extirpãdo: Quibus adiũgas, orãdo Deũ pro aliis, &c.

Temporalia conferuntur Animo, Corpori, Fortunis.

Animo

Animo per inſtitutionem in diſciplinis, per informationem ad virtutem,&c.

II. Alterum jucundo admoto Corpori, Animo.

Animo per jucundam & humanam converſationem veram, effictam.

Corpori.quinque ipſius ſenſib.&c.

III. Tertium Honorando, Adulando.

IV. Quartum docendo neceſſe eſſe ut nos ament homines ob mala vera vel apparentia hæc & illa majora fugienda:

Hic amor diſſidētes revincit, amicos arctius copulat, hic idem Pontificios Ieſuitis vnit vel ſuſpectis exoſiſque adverſus Hæreticos exoſos ac magis ut putant, metuendos.

Hostili modo Monarchiam invadimus cum vim facimus apertam Armorum: occultam Dolorum: hæc utraque nolentes cogunt, & invitos mancipant.

Ieſuitæ ut animos hominum ſibi volentes mancipent plurimos ex modis ſuperioribus & potentiſſimos uſurpant, ut nullus non hominum uno horum aliquo mancipetur. Spiritualia bona conferunt, ut videtur, Verbi Divini (Papalis) prædicatione, &c. Temporalia, Iuventutis gratuitâ Inſtit.&c. Singulos effictâ humanitate & faſcinatâ blandiloquentia demulcent & jucundâ (atque utili) converſatione ſibi devinciunt, &c. Dignis reverentiâ debitam

præſtant, indignis adulantur, &c.

His modis Favorem, univerſorum mortalium aucupant. Animos occupant, ut exinde Monarchiam, ſic Abſalom, ſic infiniti alii:

Nec ſolum Beneficiorum præſentium collatione mortales obſtringunt: Sed & ſpe futurorum Gloriam captantes ex re qualibet.

Vim autem afferunt nolentibus. 1. Armis Hiſpanicis. 2. Dolis propriis.

Ex agendi igitur Contemplatione Inſtrumente Ieſuitica deducuntur quatuor.

1. Favor.
2. Gloria.
3. Arma.
4. Doli.

A G E N S Societas Ieſuitica, potentiâ opus habens ut in Patientem Orbem agat.

Societas ex vno non conſtat, ſed ex pluribus ſociis, & quo plures eo potentior. At numero potens Societas adiectâ Sociorum Virtute opus habet quo potentior evadat. Virtus autem duplex. 1. Delecta, quæ ante receptionem delectis ineſt. Naturalis, Corporis, Animi; Fortunalis, Generis, Opum, &c. 2. Collata, quam Ieſuitæ admiſſis per Inſtitutionem conferunt.

Neque

Neque ſufficit Potentia propria ex Numero & virtute ſuorum, adiungenda aliena Confœderatorum: quorum itidem ſpectandus Numerus & Virtus.

Ex agentis igitur contemplatione inſtrumenta Ieſuitica deducuntur duo.

1. Socij.
2. Confœderati.

Eſt & unum præter iſta vagum, univerſale, perpetuum inſtrumentum, Pecuniam vocant, ad omnia utile, addo neceſſarium, ad priuatâ & publica pacis bellique gerenda negotia.

Septem igitur numero inſtrumenta Potentialia Ieſuitica.

1. Favor.
2. Gloria.
3. Arma.
4. Doli.
5. Socij.
6. Confœderati.
7. Pecunia.

De his dicendum per capita, docendumque Ieſuitas ea ſingula gnaviter ſibi comparare, & poſſidere jam ſufficientia ad uſurpandam Monarchiam, pellendoſque de ſolio Reges, queis ſolis periculum intentant.

1. FAVOR. Omnis Natura animantum, ut & plantarum ſaxorumque, Boni appetentiſſima ratione ſui Bene-eſſe, ſuæque conſervationis. Hoc homines unice amant, & huius gratiâ ea ipſa in quibus

illud eſt, ſi modo ineſſe intelligant, unde ſperant, vnde recipiunt. Quo plura, quo majora Bona, eo maior appetitus, & appetentium propenſio maior & affectus erga poſſidentes daturos. Bona Spiritualia collata nulla mercede penſaueris; nec regno, ut nec temporalium non pauca. Vtriuſque generis Ieſuitæ quotidie conferunt univerſis, aut conferre videntur, nec levia, nec pauca. Hac arte univerſos ſibi mancipant. Aſt artem huic aliam annectunt priori non inutiliorem qua tam ingenioſe ſuas merces collaudant ut cupidum emptorem inueniant & cariori pretio auferantur. Eſt & alia tertia his affinis utraque vtilior quâ mercedem extorquent ſuauiter. Non enim populo benefeciſſe ſufficit: urgenda ſolutio pretij. Subducit ſe foro mala plebs & ingrata receptis mercibus & aviculæ cum milio in ventre avolant. Et hâc utraque in arte quotquot in Orbe inſtitores mangoneſque ſuperant Ieſuitæ. Cum malo malus eſto. Ratione profeſſionis Religioſæ quotquot in Orbe Religionem eandem profitentur fautores habent addictos, ſubiectos exceptis prudentibus. Ratione inſtitutionis pueros omnes nobiles ignobiles, & cum pueris patres, matres; totam familiam; viciniam, civitatem, provinciam. Pueri adoleſcunt, viri fiunt & ſenes ætatis proceſſu. Horum plurimos ad munia Regni vel Reip. promotos videas Ieſuitis

corditus

corditus mancipatos, quibus alii ſimpliciores Conſilia priuata & publica confidentius aperiunt, atque ita ſe ſuoſque & amicos & patriam tectis hoſtibus produnt; Alij maligniores & rerum novarum cupidi hoſtile imperium ſcientes promovent; cætera plebs nulli non ſervire parata à quo Bona ſeſe recipere opinatur: & à Ieſuitis ſeſe recipere ingentia & innumera opinatur: ſpiritualia, hæreticorum extirpationem &c. Temporalia, Iuvent. inſtit. &c. His adde ſtoliditatem plebis quæ nunquam bene bona æſtimat: & induſtriam Ieſuitarum, quæ conchas ſuas ex arte ſcit laudare.

2. Gloria. Neque ſufficit benefeciſſe: perſeveratione opus eſt, ut duret amor: ad exhauſtum puteum accedit nemo. Nec bona omnia ſimul & ſemel in plebem refundenda: inſtillanda paulatim vt gratiora ſint, & gratiam ipſe maiorem reportes: non ſapit palato cibus qui transglutitur avidius. In receſſu aſſervanda quæ ſpem faciant. Vnde nil ſperant amplius, negligunt, & ſaccum vacuum ablegant: Adhæc præterita pro futuris ſpondeant. Ex præſumptione qui aliàs benefecit, eum & in poſterum benefacturum ſperant. Præteritis beneficiis non mancipantur homines, ſed præſentibus ac futuris. De illis dictum ſuperius. De his heic ſermo eſt. Ieſuitæ Gloriam futuri fideiuſſorem, & ſpei collativam aucupantur. 1. Ex actis. Sic

de iuuentut. inſtitutione mira coram ignorante vulgo prædicant: de reductione infidelium: de ſeruata Eccleſia Rom. q̃ reliqui Monachorum Ordines ut imbecilliores & ignauiores deſeruerant: de miraculis Indicis, &c. 2. Ex eruditione multiplici; ad hũc finẽ quotquot in ſua arte qualibet viri celebres ad ſe alliciunt, pictores fabros, Mathem. &c & ipſi ſuos nouitios aptos quã optime inſtituunt ut in doctiſſimos euadãt. 3. Ex virtutib. omnib. (& nullis) Pietate, vitæ ſanctimonia, caſtitate, Æquitate, nec non ex Philanthropia miſanthropi ipſi & hominum omnium oſores atque hoſtes. 4. Ex poſſeſſis. Sic de Templorum ſuorum & Collegiorum numero, ſplendore, & magnifica ſtructura, &c. His accedit eadem quæ prius plebis ſtoliditas & induſtria Ieſuitica. Illidem pariter plebs ſe mancipat à quo Bona expectat in poſterum: à Ieſuitis autem ingentia expectat (miſera quæ ſuum ſeruire pro bono habet) ob eximias virtutes, prudentiam incomparabilem: rerum omnium diuinarum humanarumque cognitionem: potentiam Regiæ aut Imperatoriæ non diſparem, & pecunias immenſas, &c. Eos parum abeſt quin ſibi in Reges deligant & prioribus ſubſtituant quos iam votis ſilentib. exoptant plurimi Ieſuiticis philtris dementati furenteſque. Quid quod iam nonnulli Monachos iſtos pro Dominis, pro Regibus habeant colantque gratiſſimis,

tiſſimis, quibus in ſubiectionis notam Reipublicæ adminiſtrationem pro nutu permittunt, vt Colonienſes, Moguntini, Bauari, Friburgici, &c. Attendite Reges, & ſaluti ac dignitati tam veſtræ quam liberorum conſulti proſpicite dũ tantillum licet.

Præter Beneficia ſunt & alii modi Ieſuitis familiares, quibus animos hominum doctorum, indoctorum, nobilium, ignobilium amicitiæ nomine ſibi deuinciunt. Amicos autem omnes homines & beneuolos faciunt ex prudentiæ lege: Remouenda Actionis qualiacumque impedimenta. Lubricanda vero (explananda) ad ſcopum ducens via: faciliorem rerum exitum præſtant amici tam priuatiuo quam poſitiuo auxilio: difficiliorem inimici, maleuoli, invidentes, &c. Hanc vniuerſalem beneuolentiam aucupant effictа humanitate & faſcinata blandiloquentia, & geſticulatione hiſtrionica, adulatrice, &c. quæ omnia imperantibus Regulis, & ducibus artibus faciunt hominum artificioſiſſimi: quas ſingulas pro ſingulis agendis generalibus, ſpecialibus, ſpecialiſſimis cultas occultas in proprios uſus aſſeruant, adeo nihil ſine arte fit apud iſtos. Amicitiam quinetiam arctiorem & familiaritatem ineunt quarumdam artium opera cum non paucis ex Magnatibus in Gallia, Germania, Italia, Polonia, &c. atque

plebeiis doctis indoctiſque. Sed hæc Ieſuitica amicitia nonniſi ex fraude & priuati emolumẽti reſpectu contracta quam dubia ſit & fallax & damnoſa & exitialis aliis experiundum relinquo. Omnium hominum maxime Hyperphilauti Ieſuitæ nullos amicos habent, nullas amicitias colunt: utuntur abutuntur ſimpliciorum Regum, Principum, nobilium, plebeiorum opera: eoſdem poſteà ſi pro bono Societatis expedire videatur perfidiſſimè iugulant, periculis exponunt, deſerunt, produnt, &c. Cavete à tali Dalila Samſones. Regulæ Societatis cavent ne in quemquam mortalium Novitii propendeant ne conſanguineorum quidem; immo imperant ut ipſius Patriæ ingenitum amorem mature abiiciant.

3. Arma. Bellum gerunt Ieſuitæ ſed miri generis, lanceis argenteis pugnant; illud & Philippus Macedo quondam. Arma ſua non habent niſi forte quædam nec pauca in templis & Collegiis cum pyrio pulvere ſubdito ad ſociorum defenſionem contra fortuitos & repentinos hoſtium incurſus Templariorum periculo ſapientes. Arma autem & milites & reliquũ belli apparatum pecuniâ quam ingentem occulte in ſubterraneis in Indiâ (ex mineris furto ſubductam) & alibi conditam poſſident, comparare poſſunt quam primum ſuæ prudẽtiæ expedire videbitur: Et heic etiam Reges callidum

dum cernite Regulorum æmulorum ingenium armis Hiſpanicis utentium, & alienis laboribus ac periculis imperium ſibi quærentium. Sed de his ſuperius. Huc licet Arces referre belli gerendi inſtrumenta maiora immobilia vim apertam ſi modo bene attendat Mundus tandem allatura. Arces illæ Collegiorum nomine innumeræ per totum Orbem jam conſtructæ in opportunis locis vel in editis Vrbium ut eas inde data expugnandi occaſione ſibi ſubiiciant etiam reluctantes: vel non longe à mœnibus ut effractis ipſis ductiſve cuniculis ſubſidia Hiſpanica commodiſſime intromittant. Sic in Polonia, & Galliâ, &c. Ampliſſimæ illæ & munitiſſimæ nec unquam in aliis quam munitis aut opulẽtis Civitatibus extructæ populis in quorum perniciem ac ſervitutem prominent non ſolum non ſtolidius permittentibus, ſed etiam ad eas extruendas ſtolidiſſime accurrentibus, adiuvantibus, promoventib. Digna ſtoliditas tali ſupplicio. Mundus vult decipi, decipiatur: Et hoc ab omni ſæculo verum, cupit & gaudet male tractari plebs, ut mala mulier, mala ipſa, ſtolida, & pecuini ingenii indigna propterea cui benefiat: digniſſimâ, contra in quam perdendam quotquot ſunt Paparum, quotquot Ieſuitarum maleficæ artes exerceantur. Pergite generoſi Ieſuitæ, pergite, & brutam Mortalium plebem veſtris dolis perdolate, digni

 hercle

hercle qui imperetis, digna ipſa quæ ſerviat vobis. Pergite, fallite, tundite, cædite: belluæ ſunt, non homines.

IV. Doli. Superius de facultate doloſâ (ſive Prudentiam ſive aſtutiam voces mihi perinde eſt) quam roborant ad uſum, ad dolorum excogitationem qui velut illiùs opera ſunt. Porro qui doli ſint Ieſuitarum, & quales, & quot generum, &c. inter abſtruſa eſt. Optimus dolus doli ipſius occultatio. Dolorum artifices ingenioſi Ieſuitæ huius occultationis ingenioſiſſimi: Tartara potiùs Sol penetraverit quam ingenium humanum dolos Ieſuitarum. Effectus perſentiſcimus Regicidia, Bella civilia, Proditorios actus, &c. Cauſas & modos agendi procul inque neſcimus. Inique igitur Ieſuitas tot malorum autores facimus; audacter pernegant. Calumniatur & ipſe qui commiſſum ſcelus autori ſine certis indiciis imputat. Sinendi igitur Ieſuitæ in pace cum ſuis dolis: deſerenda noſtræ libertatis, Eccleſiæ, Patriæque defenſio. Tunc ſe tandem victores ſe Reges totius Orbis proclamaturi ſunt, ubi Reges omnes ferro venenoque ſuſtulerint; ubi populos in vinculis tenuerint, & de perpetua noſtra nec amplius rebellatura ſeruitute certiſſimi fuerint. Illud opportunum aderit conquerendi tempus, accuſandi, condemnandi:

di:quaſi vero; Sic euentus ſtultorum magiſter.

V. Socii. Horum obſeruandus

Delectus. Non promiſcue iuuenes omnes admittunt Ieſuitæ pro Sociis, ſed queis aut ſplendor generis autoritatem peperit, aut Natura ingenium, aut fortuna divitias liberalius conceſſit. Nobiles & diuites qua tales parui faciunt. Sed illos in Politicis leuiter inſtitutos in aulas ſecum circumducunt ut nobilitatis medio cæteros eius generis ac ſortis facilius ſibi applicent ingenioſi aucupes. Iſtos vero recentis fortunis omnibus vel in Indias tranſmittunt in vilioribus muniis occupandos, vel veneno lento enecant, aut in ſubterraneis iugulant, ut alimentationis ſumptu leuentur. Ingenioſos ſolos charos habent, Et merito? Nam ſapientiſſimi hominum de bonis non temere ut vulgus ſed ſapientiſſime iudicant: nec materni abdominis inutile (per ſe) beneficium magnifaciunt aut Magnæ matris excrementa. Ingenium & virtus propter ſe amantur. Genus propter aliud, propter genitorem ſcilicet iamdudū cum ſua virtute ſepultum. Quid autem & quantum ingenii requirant in admittendis Ieſuitæ, & quo delectu tacitoque examine in Scholis ſuis præhabito admittant, ab aliis editum. Sed non habemus tam diligentes homines qui talia opera frequenter in publ. utilitatem recudant, quam ſunt Ieſuitæ ad ſubducenda coempta

exempla

exemplaribus omnibus. Et hoc meum ſubducent: vos boni recudite, reſpargite. Deſeritur cauſa publica & ad rem priuatam attendunt ſinguli: virtus poſt nummos. At quomodo admiſſos probent ex Regulis Societatis ex parte patet. Regulæ iſtæ miro contextæ ingenio ſub verbis ſacerrimis myſterium iniquitatis occultant. Si examines mira Sectæ arcana, deprehendas quanquam non omnia: ſed naſo ſagaci opus & linguæ peritia. Viſuntur impreſſæ Lugduni ex Typogr. Iacob. Rouſſin. 1604. Quomodo denique probatos inſtituant, & qua diſciplina contineant ex parte notum: ex maxima ac meliori ignotum. Lynceis oculis opus ad tam ſolidas murorum compagines transfigendas, & remotiſſima Collegiorum penetralia exteris impenetrabilia perluſtranda. Certum tamen eſto prudentiſſimam iſtorum diſciplinam, & ſuos (delectos) inſtituendi methodum ingenioſiſſimam.

NVMERVS. Numerus militum ſine virtute inefficax & virtus ſine numero: quanto plura ligna tanto maius incendium. Quam gnaviter Ieſuitæ ſuum illum exercitum de Mundo de Regibus aliquando tandem triumphaturum, ſi Deus velit, quotidie roborent inter aperta eſt. Horum numerus in quantum excreuerit ultra ſexaginta primi inſtituti vix ſciri, vix credi poteſt. Ego ad ducenta millia ſi quid

quid coniectura valet, ſi quotquot in Europâ, Aſia, Africa, America, occulte in Collegiis aluntur innumeris & ampliſſimis; quotquot in vulgus explorandi gratia populari habitu dimiſſi diuagantur ſolos adnumeres: Vt ſtipendiarios, conſiliarios, aulicos, monachos, &c. cuiuſcumque ſortis homines coadiutores non pauciores excludas. Quid quod integrarum civitatum plebs promiſcua ſeruata veſte vitaque plebeia in Ieſuitiſmum iurent? quot Reges, quot Principes, &c. in Ieſuitas animitus transformentur, vnaq; Provinciæ totæ in partes eaſdem trahantur invitæ? Dormite ſecuri Mortales, deſidete Reges quandoquidem tam numeroſus, tam potens exercitus per totum orbem in oppidis, in ædibus veſtris pro veſtra ſalute pervigil excubat. Securitas præcedit caſum.

VI. Confoederati. Confœderati Ieſuitarum ut breviter & perſpicue demonſtrē, Papa & factio Hiſpanica noto notius. Tria capita ſibi ſolis ſapientia; attendentia; ſubdole mutuas in idem opus operas conferentia. Cum Papa Papiſtæ ſimul omnes acceſſere fautores præter ſaniores. Illi cæco zœlo ducti atque hæreticorum quos putant extirpationem imprudenter expetentes, Atheorum politicorum ſe partibus imprudentius adiunxere. Factio Hiſpanica mille Regnorum myriadibus potens fraudibus

fraudibus Sociorum, & hi viciſſim potentia illius & armis utuntur: ſed quam fidem alii aliis ſervaturi tandem docebit eventus.

VII. PECUNIA. Inſtrumentum iſtud uniuerſale & factotum rerum humanarum, nervus belli, &c. Huius Ieſuitæ cum Regibus univerſis de Imperio certantes pro ſua prudentia, iam à multis annis ingentem congeſſere ſummam, atque etiamnum quotidie ſumma cum diligentia & induſtria congerunt, pluſquam Monachis in voto paupertatis, pluſquam bonis viris ad honeſte vivendum, pluſquam mediocribus Politicis ad mediocris ſtatus conſervationem, & ſumptus neceſſarios ſufficiat. Quid de reliqua? an ſuperflua & inutilis? ad corrumpendos Legatos, Conſiliarios, adminiſtros Imperatorum, Regum, Principum, Rerumpub. &c. ad res politicas omnis generis per ſuos ubique diſpoſitos & diſcurſantes gerendas. Quod ſupereſt, ad conducendum aliquando exercitum reſervatur. Nullam autem illegitimam artem, nullam nundinationem, nullum mangonium pudendum Sacerdotes ducunt: etiam ex lenocinio, etiam ex fæminarum Nobilium ignobilium conſtupratione contra vulgatum morem lucrum faciunt, (dantur exempla) & huic operi ex ſuis nonnullos bene natos deſtinant. Pudet ſordibus Patrum car-

tam

tam ſpurcare, lucri bonus odor ex re qualibet; Ieſuita eſt omnis homo; Mercator, Sutor; Sartor, Faber, Pictor, &c.

Calceos; veſtes, libros; pannos viliores; ſericos; purpuram, pelles caſtoreas & gemmas & aromata ex ſuis Indiis allata, &c. apud Ieſuitas venalia invenias: & in minimis dolus: Non Ieſuitæ, ſed Ieſuitica mancipia, ſed in emolumentum, ſed ex ordinatione Societatis lucripetæ. Innumeram ex mulierculis, viduis, aniculis, deliris ſenibus, & ſuperſtitioſa plebeculæ turba promiſcua per donationes, furtivas peccatorum redemptrices aut per teſtationes, &c. ab ipſis mortuis tributum exigentes emungunt, ad fundationes inquiunt aut ornamenta Templorum, Collegiorum, &c. Innumeram ex iuvenum inſtitutione corradunt quorum plurimos & opulentiſſimos quoſque ſeductos, raptos una cum fortunis in ſua clauſtra transferunt. Innumeram ex fratrum ſpoliis inaudita ac pluſquam fraterna charitate pulſorũ, quorũ reditus omnes & bona mobilia cũ immobilib. ad ſe non ſine ſacrilegii & impietatis crimine rapiunt: hinc iuſtæ illæ cæterorũ Ordinum de luporum iſtorum falſorumq; fratrũ rapacitate inſatiabili querelæ. Innumerã ex parſimonia colligũt quæ maxima & ſollertiſſima apud Ieſuitas, magnũ vectigal parſimonia. Quid quod Ieſuitas elixir mineralem magicũ poſſidere

filii

filii artis clamitent; &c. Exempla antiqua re-ponamus ob oculos & Rerum Papalium ſta-tum ab exordio contemplemur. Sacrificuli & ipſi fuere: Sed Ieſuitis & fœlicitate originis & ingenio longe inferiores: Suarum tamen im-poſturarum dexteritate tantam vim pecuniæ congeſſere ut cum Regibus, cum Imperatoribus Romanis aduerſis exercitibus concurrerent, à quibus poſtmodum debellatis turpe tributum exegerunt, & ignominioſiſſimè ad fœditos ſuæ ſanctitatis pedes prouoluta ipſorum ora vere-cunda impunè conculcarunt. Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor. Eandem per Ieſuitas fortunam expectate Principes, Reges, Impera-tores: eandem experiemini vel duriorem. niſi matute, niſi conſultius Venetorum Sapientum exemplo veſtris rebus proditis, perditis, de-ſperatis horum matura expulſione conſulatis. Faxit DEVS vates ne ſim, & imprudentis mo-nito veſtram velitis excitatam prudẽtiam. Prin-cipiis non obſtitiſtis. Creuit hoſtis, & valet & tantum valet, ut vos ipſe potius, quam vos ipſu debelletis. Citius excitatur incendium quam reſtinguitur. Vos videritis: veſtra refert, nõ mea, neq; populi qui ſicut equus quemvis admittit ſeſſorem.

Talia igitur Poteſtatem actiuam Ieſuiticam roborantia inſtrumenta acquiſita, poſſeſſa, pa-rata in totius Orbis, in Regum, in Populorum

vniuerſorum

univerſorum ruinam ac ſervitutem quotidie etiamnum ſtrenua adiectione excreſcentia.

Horum uſus ad Politica opera Monarchiam univerſalem Ieſuiticam promoventia.

Et hic uſus ex maxima ſui parte inexplicabilis; tum ob propriam rerum civilium naturam variam infinitam; tum ob Ieſuiticam Aſtutiam ſua omnia occultiſſime ex arte, & cum dolis imperſcrutabilibus adminiſtrantem.

ROBORATRICE explicatâ ſupereſt ut infractricem Ieſuitarum actionem ſpeculemur, qua nimirum totius orbis activam virtutem infringunt, ut ipſe illatam à Societate iniuriam neque repellere, neque referre aut ſciat, aut velit, aut audeat, aut poſſit.

INTELLECTUM Mortalium infringunt ut agere in hoſtes (Ieſuitas) neſciant nec defenſivè nec offenſive, I. Tollentes Iudicium ut omnino agere neſciāt, aut ad agendum obluctandumve adduci: atque iſtud quidem aſſequuntur occultatione ſui finis ac mediorum. Ita fit ut Mortales ferme omnes ignari quis Ieſuitarum Scopus, quæ media, quis mediorum uſus, quis agendi proceſſus, &c. pro amicis ipſos habeāt & religioſis & bonis viris, nō pro hoſtibus & politicis & nefariis. Ad ictus inflictos per moventur, exclamant: ſed quis inflixerit, aut unde, & quo teli genere &c. neſciunt, ac ſi de nocte, à larvatis militibus ignari in ſolo ſe po-

ſitos inimico confoderentur. Gemunt omnes & ſtrepunt & queruntur ex mali ſenſu fæminarum inſtar : de quærendo remedio nemo qui cogitet, nemo qui primus prodat, qui ſolus audeat: Et iſthoc maſculæ virtutis eſt. Scopum & media occultant PRIMARIO Religioſa profeſſione qua non ſolum factioſis Catholicis, ſed & cæteris ex æquo mortalibus imponũt. Ita Evangelicis nobis cum quibus, ut & cum Calvinianis & ipſo Rege Angliæ, & aliis Eccleſiæ Reformatæ proceribus per ſuorum aliquos ad id deſtinatos de fidei ac Religionis articulis, ex ſolertia maxime, anxie, & contentioſe, & ſcrupuloſe ipſi Athei diſceptant, eo fine, ut animos noſtros ab una parte diſtineant, dum per aliam irrupturi ſunt, per Politiam ſcilicet qua vaſtata & ipſa Eccleſia compatitur, unaq; deſtruitur. Ita Turcis imponunt & Perſis & Chinenſibus & Iapanéſibus, &c. quorum Statum explorant, & ad ruinam diſponunt, callide ſe converſionem Infidelium unice quærere ſimulantes. SECUNDARIO Civilis ipſius Agendi dexteritate & verſutia quæ tanta eſt, ut technas ipſorum deprehendere omnino ſit impoſſibile, neque ſcelerum convincere, adeoque nec accuſare, condemnare; plecterequod unicum & præſens malorum remedium foret, ut cruce, ut morte iſtorum totus ſervaretur Orbis. An propterea fides oculis habenda non eſt illuſio-

illuſione magica deceptis, ac nonniſi per interiectam nebulam magnitudinem omnem ſuperantia Magorum iſtorum crimina cernentibus? aut non punienda Impoſtorum crimina, quia tanta arte impoſuerunt ut licet effectus apertiſſimi; cauſæ tamen occultiſſimæ univerſorum aciem effugerint? ideone etiam ferendi diutius in noſtram perniciem ſua ſolertia abutentes homines? Nunquam hercle medicus pharmacum propinaret ægro, ſi de peccante humore certiſſima & indubitata poſtularet indicia: & ecce de aliena, de unius ſalute tunc agitur, audet medicus, purgat, ſanat. De veſtra Iudices terræ Principes, Reges, Imperatores, de populorum veſtrorum, deque univerſorum Mortalium ſalute heic agitur. Audete fortes & veſtræ ſalutis publicæque diligentes regicidas Monachos tollite Monarchiam univerſalem vobis omnibus liberiſque veſtris de ſolio avito deturbatis affectantes. Manus latronum non per ſylvam unam, ſed per Orbem univerſum graſſantium, ac pacem univerſalẽ vaferrimis conſiliis perturbantium clamore Populorũ accuſatur: faſcinatos excipio & opera iſtorum utentes homines æque facinoroſos. Indulgete univerſis aliquid: ſontes paucos plectite, dolentemque lenite mortalium turbam non omnino inique aut temere conquerentem, ſapit ipſa aliquando & ipſo rectore Balaamo videt

acutius. II. Pervertentes, ut ſi agunt male agant & ſuam ipſi ruinam promoveant. *Iſtud* aſſequuntur Paſſionum humanarum quæ potentiſſime mentes etiam ſapientiſſimas convellunt evertuntque in ſuos uſus & noſtram perniciem converſione. Itaque in aliis hominibus has indunt per Iuventutis inſtitut. quam totam à teneris quo lubet dogmate faſcinant, ut adultos ipſos implantata hæc Inſania ad Rempub. maleſanis paſſionibus furioſiſque conſiliis turbandam perdendamque diſponat & adigat. Vt. ſuperſt. Rom. promovendæ prætextu aut exterminandorum hęretic. aut inquiſit. Hiſpan. invehendæ, aut admittendi Concilii Trident. peſtiferi gratia, &c. In aliis de potentia in actum promovent, languidas ſuſcitant, ſuſcitatas intendunt & acuunt; & has optime ſingulorum hominum Principum nobilium plebeiorumq; Catholicorum, Evangelic. Calviniſtarum, &c. per ſuas explorationes multiplices & ingenioſiſſimas intelligunt. Sic avaritia huius vel illius Secretarii aut Cancellarij &c. cognita utuntur oblata pecunia ad excipienda Regis arcana. Sic Ambitione Principis utriuſque ſexus, aut libidine, aut vindicta fæminea ad turbandam pacem publicam, Regnum aut Imperium ſubvertendum. Talibus artibus aliiſque innumeris utuntur Ieſuitæ ad eripiendam hoſtibus agendi ſcientiam qua ſublata bruta ex hominibus

bus fiunt, neque agendi potentes neque quieſcendi, ſuamque male agendo miſeriam augentes potius, quam curantes. Huc refer induſtriam qua Ieſuitæ ſapientum ex noſtris fidelitatem corrumpunt, aut auertunt, ne per hos ſuis Regibus, ſuæque Patriæ aut Eccleſiæ fideliores arcana Ieſuitica verbis vel ſcriptis aperiantur: qua libros contra Societatem emiſſos prompte ac callide ſupprimunt coemptis exemplaribus omnibus: qua denique Conſilia ſua, & ſcelera prodita vulgata dextere in meliorem partem interpretantur, mitigantque & excuſant: ad extremum impudentiſſime inficiantur.

VOLVNTATEM adimunt deffenſiuam offenſivam, imo convertunt & ſuarum partium ſequacem efficiunt, Beneficiorum ſpiritualium, temp. in univerſos mortales ingentium collatorum, conferendorum ingeſta opinione: & hac ſolertia efficiunt ut totus Orbis nolit ſe tueri vel adverſus ſuſpectas ipſorum fraudes, & coniectatam Monarchiæ invadendæ intentionem. Hoc enim homines in lege nativa poſitum habent vt Beneficis viciſſim beneficia retribuant, adeoque vt Benefactoribus ſuis dilectiſſimis ſponte ſubmittantur. Ita IeſuitisBeneficis ac præterea prudentia regnandique peritia pollentiſſimis, lubentiſſimo animo ſe ſubmittunt, quod ex hac quoque virtute Bona maxima in futurum ſibi polliceantur per rectam

prudentemque Reipublic. adminiſtrationem. Quid quod ſe beatis omnibus beatiores populi exiſtiment, quod Religioſorum hominum quaſi Angelorum clementi regantur imperio, Regnum Dei tunc affuturum perſuaſi quando totus Orbis Papæ Monachiſque regendus ceſſerit? Sublata itaque voluntas deffenſiva. Eodem pacto tollitur offenſiua, quis enim tam utiles Eccleſiæ Rom. tam utiles Politiæ homines priuatim ac publice utiles lædere velit, aut facto aut verbo, aut quicquam de iis ſiniſtrè ſuſpicari? Patres Eccleſiæ, Patres Patriæ, patres noſtros in Chriſto, regulos noſtros Regibus pulſis minus eruditis, aut ſubtilibus, minuſque regnandi peritis ſufficiendos; Huic offenſivæ voluntatis ademptioni accedit vita pia, humana, & innoxia Ieſuitarum ab externo. Ita enim ſunt ſinguli homines comparati, ut nonniſi maleficos lædant, ex æquit. nat. lege. At Ieſuitæ compoſitam humanitatem præ ſe ferunt & innocentiam. Præterea quamvis ſcelera Ieſuitarum apertiſſime perſpiceret Orbis, ipſos tamen lædere non ſuſtineret aut plectere, ſed ob beneficiorum recordationem ſtatumque religioſum clementius ignoſceret. Ne tangite vnctos Domini. Talibus technis in voluntatem deffenſivam, offenſ. ſubditorum agunt: ſequenti in Regum ipſorum. & hæc techna technarum priſcis inaudita, compendioſiſſima ad regnum

via.

via. Ducem ſive Regem utriuſque ſexus(quidni Papam? quidni Patres ipſos Inquiſitores verſutos ipſi verſutiores favente fato)iuniorem quẽpiam aut imprudentiorem piis fraudibus circumventum obſeſſum, poſſeſſum ſuperſtitioſum ac meticuloſum efficiunt; regnum cœlorũ unice quærendum prædicant, temporale aſpernandum calcandumque perſuadent ex arte peculiari, &c. Ita paulatim ſine ſenſu de Duce, de Rege Ieſuitam faciunt. Stupenda metamorphoſis. Huic Ieſuitæ facto nil niſi externus habitus deeſt, pares affectus, paria vota cum reliquis, Ducatus totus, Regnum totum à Ieſuita cõſiliis Ieſuitarum regitur in quorum poſſeſſionem tranſiit.

Cedant arma togæ, concedat Laurea linguæ.

AVDACIAM tollunt deff. offenſivam ut non auſint mortales quanquam maxime velint & poſſint, aut ſe tueri, aut hos aggreſſores lædere. Hanc adimunt Catholicis populis ob profeſſionem religioſam, iram Dei minitantes & æterna ſupplicia, ſi unctos Domini tangere auſint, aut verbo lædere, aut cogitatione ſuſpicioneve, mortale hoc eſſe peccatum inſinuantes in prædicationibus & confeſſionibus. *Impune* igitur nulla non ſcelera patrarent boni iſti viri, ſi tanta eſſet ſingulorum hominum in ipſos ſuperſtitioſa propenſio, quantam & optãt & indere moliuntur. At cum aliquot ſemper

exiſtant partim hæretici, id eſt, alieni ab ipſorum fide, partim politici talia terriculamenta ridentes, partim boni viri prudenteſque quorum zelus & amor non fertur ultra aras, ideo non apud univerſos fœlicem technæ iſtæ ſortiuntur exitum: Apud plurimos tamen quos zelus quos deſipientia abripit. Euangelicis & alienis audaciam nocendi adimunt metu ſeditionis iniecto cum Papalis factio tota & ipſa Hiſpanica in iſtos propendeat. Singulis ſine diſcrimine. 1. Ob legum metum vetantium quequam pulſare, lædere, aut caſtigare ne verbis quidem niſi ſui ſceleris apertiſſime & publice convictum. Ieſuitæ autem cum tanta cautela peccant ut convinci nequeant. ideo ne impunes dimittendi tales agyrtæ, qui tanta artis & uſus dexteritate illudunt ut oculis noſtris, ut ipſis imponant legib.? ó ſapientia neq; hominibus ades, neque legibus! Non per effractas, ſed per occultos telarũ poros & interſtitia tranſmittunt. Humana ſapientia ad omnia non ſufficit: hinc multa mala neceſſaria. Nihil de priuata, nihil de publica ſalute ſperandum amplius quandoquidem nullæ dantur leges quæ legum jura tueantur & ab impoſtorum ſubdola impugnatione vindicent. 2. Ob privati diſpendij metum. Et hercle Reguli iſti in tantam nunc excrevere potentiam, metuſque de futuro non minor, ut non impune quiſquam hos laceſſat

amplius. Ipſos Reges ſive læſerint ſive non, palam occidunt & impune: quidni privati ſinguli metuant? Venetorum periculo ſapiamus. Venena Ieſuitæ in promptu habent, & arma magica, & fraudes politicas, & cultellos, & ſicarios per totum orbem diſperſos: ſiquis allatret ſectę, vel minimum ex fratribus pulſet exinde per totam vitam & ſingulis momentis ultrices ſibi Diras adeſſe cogitet, ipſe reformido. Ex Regulis Societatis eſt. Nemini ſemel hoſti facto parcendum.

POTESTATEM totius Orbis infringunt, 1. Subductione inſtrumentorum, 2. Eorundem non ſubductorum debilitatione, ut inutilia effecta nullius aut parvi ſint uſus in defendendo, offendendo. 3. Integrorum ſive utilium converſione, ut non regno tuendo ſed deſtruendo potius proſint, & Imperio Ieſuitico promovendo.

Monarchiæ tam univerſalis quam particularis inſtrumenta defenſiva offenſiva ſunt quatuor, quibus ſublatis, fractis, vel converſis neque ſe tueri, neque hoſtem lædere aggreſſa ipſa poteſt. 1. Magiſtratus, 2. Populus. 3. Arma. 4. Pecunia.

I. MAGISTRATVS nomine Rectorem Populi intelligimus qui aliis populis Rex eſt: aliis Senatus duntaxat, qui in Rebuſpub. loco regis eſt & pluribus perſonis conſtat, hoc eo-

dem nomine Proceres regni intelligimus, filios Regis, cognatoſque & alios Principes: Item Potentiores & ſapientiores ex populo ſive Politicos ſive Eccleſiaſticos Politiæ aut Eccleſiæ capita famulantia quam utramque oppugnant Ieſuitæ. Rex ubi adeſt magiſtratus caput eſt; idẽ & populi caput & anima quo ſublato populus ut truncus, ut cadaver virib. deſtitutum, vecors diſcors, imbellis, defẽſionis omnis & offẽſionis impotens. Hoc vivente vigente viuit & viget regnum. De Rege primo, tum de Senatu & reliquo magiſtratu.

Ieſuitis Monarchiam univerſalem oppugnantibus hoc imprimis curæ eſt ut Reges omnes & Imperatores & Principes de medio tollant, ſive Chriſtianos, ſive Gentiles, ſive hæreticos quos vocant Athei ipſi: perempto ludice corruptove non eſt quod metuat reus. Ad id autem plurimos alunt Sicarios & veneficos & furioſos & deſperatos ad Regicidia ex arte peculiari diſpoſitos & inſtitutos. Ars execranda ingenioſa ſolis Ieſuitis cognita, à quibus excogitata in totius Orbis perniciẽ præſentiſſimam. Et iſtud notandum: Romæ & Neapoli conducti pharmacopæi chymiæ & Magiæ & damnatarum artium periti, qui hoc muneris habent vt venena per artem itidem novam exquirant, excogitent, explorent quæ ſub morbi ſpecie, puta icteri, hydropis, &c. ſumentes lente & latenter

perimant,

perimant. An Ieſuitæ, an Papa, an tertius huius inſtituti execrandi ſit autor, incertum: certum tamen non in muſcarum muriumve necem tanta arte tantoque ſumptu venena parari. Sunt & aliæ artes Regicidæ Ieſuiticæ, ut & illa in Sereniſſimum Angliæ & Scotiæ Regem ante aliquot annos tentata, ſubdito pulvere tormentario, quo ſuccenſo & Regem & Regiam ſtirpem & Regni totius proceres una ruina abſumpſiſſent, niſi DEVS tam horrendum execratus facinus avertiſſet. Regicidiorum & procericidiorum & intoxicationum exemplis hunc libellum onerare non eſt conſultum: cogendæ Anti-Ieſuiticæ Societati hanc provinciam totam cedo. Innumera ipſe ex fama publica ex ipſorũ Catholicorum ore ac ſcriptis recenſerem accepta: ſed neque unus omnia poteſt audire, videre, ſcribere; neque fama conſtans, neque indicia certa, neque tam craſſus Ieſuitarum proceſſus ut ſui ſceleris veſtigia relinquat. Rumor eſt, vulgus ait, Sapientes coniectant, Ieſuitæ impudentiſſimè pernegant, ſimpliciores abnuunt, nequiores reſpuunt. Sunt & aliæ technæ non minus utiles, ſed plus ingenij, minus habentes periculi. Principes, Reges utriuſque ſexus ad intemperantiam & voluptates miro aſtu incendunt ut enervetur perſona Regia, & proles vel nulla ſit, vel pārentum peccata luens minus firma ſit & vivax, atque ita cum Rege

ſpem prolis enecant. 2. Iuniorum Principum, & Regum præmatura coniugia procurant in eundem finem. 3. Diſſidia ſerunt & fovent mille artibus ut filius patri vel contra, & vxor viro, frater fratri, cognatus cognato, iraſcatur & inſidietur.

His & aliis dolis regias perſonas de vita tollunt.

Honorem iiſdem adimunt, quæ vita civilis eſt, & contemtum & odium ſubditorum & exterorum in Principem ſuſcitant. 1. Famoſis libellis & mendacibus; ita nuperrime in honorem Illuſtriſſimæ Electorum Palat. familiæ. 2. Partes familiæ advitia impellendo callidè, ut infamia in viros, in patres redundet, & in ipſam ſobolem.

Inutiles Reges & Principes reddunt, & ad regendum minus aptos. 1. Superſtitione imperata. 2. Veneno dementante, nolumus, inquiunt, mortem peccatoris, ſed ut deſipiat. 3. Inductione ad crapulam, ad laſciviam, ignaviā aut frequentiores venationes, &c. quæ interpoſitis luxu perditis Aulicis ſtipendiariis facile eſt aſſequi.

Convertunt Reges & Principes, & ſuarum partium fautores efficiunt, excitatis accenſiſq; vehementiorib⁹ animi affectibus, imprimis ſuperſtitione, quæ de Regibus Ieſuitas facit, ut diximus: etiam ambitione, auaritia, vindicta.

&c.

&c.oblatis fomentis. Quibus autem modis, quibus artibus hæc omnia conſequantur, quæ vix credi, vix cogitari poſſunt nonniſi coniecturis & ſagacitate, & præteritorum ad præſentia collatione aſſequi quiſquam poteſt. At qui ſemel, qui frequenter fraude utitur, dignus eſt cui omnes in poſterum fraudes imputentur; ſic qui ſemel mentitus iudice Cæſare, dignus eſt cui nulla amplius fides habeatur etiam vera dicenti: ſemel malus ſemper malus ICtis. Quidni igitur Ieſuitarum fraudulentiſſimo ingenio quæcumque ocurrunt fraudes & ſcelerati actus aſſignentur. In Senatum & Conſiliarios & Potentes & Sapientes Reipub. Politicos, Eccleſiaſticos, eaſdem artes uſurpant, ut publicæ Libertatis Vindices idoneos quoſque vel tollant, vel inutiles & innoxios efficiant, vel convertant. Tollunt ferro, veneno &c. vel per manus aliorum ac concivium ſuſcitatis ſimultatib. variis: vnde duella, mariticidia, & alii caſus per plura interpoſita media.

Senatum quem tollere nequeunt utpote nimium pluribus conſtantem perſonis, inutilem reddunt. 1. Procurata diviſione & æmulatione. 2. Procurando vt qui Conſiliarii in locum aliorum ſubſtituuntur viles ſint homines, rudes, imperiti; juvenes, ſine prudentia, ſine uſu, vel ſi ſecus, mali ſint & Ieſuitici ingenii; & hoc eſt tollere rem ipſam ſervato nomine.

Conver-

Convertunt corruptione per pecuniam, item medio ſuperſtitionis, ambitionis, vindictæ. Et iſtud inter veriſſima ponatur rarum hoc ſæculo ſincerum Senatum dari,(quotquot ſunt in orbe perſpice,Politicos,Eccleſiaſticos,) in quo non vnus,duo, plures,vel omnes Ieſuitico, Hiſpanico,vel Papali ſtipendio fruantur ut ſui Regis, Principis,Reipubl.Eccleſiæ,Patriæ conſilia divendant & prodant. Et heic opus Inquiſitionē prompta,diligēti,ſagaci. Neq; enim ipſi ſeipſos ſunt accuſaturi: neque tam craſſe peccant ut acta pateant, ut convinci poſſint: neq; exitiale malum amplius negligendum. Tales plerumque ex ſubtiliſſimis,prudentiſſimis, honoratiſſimis,& ſuo Principi acceptiſſimis Conſiliariis Aulicisve. Libertas deferendi per iſtos ſublata ſubdole,etiam ſuſpicandi. Calumniam vocant quamlibet de proditoribus rectam ſuſpicionē: Opus indiciis, inquiunt, ijſque evidentiſſimis, at hoc impoſſibile: adèoque impunis iſtorū perfidia, & neceſſaria Regni ſubverſio. Dignus Mundus tali pœna qui non prudentius rebus attendit ſuis Periculoſum pro Regibus facere, qui par non referunt, ideoque ipſorum cauſa deſeritur,proditur à privatis extra aleam poſitis. Gratus eſto,multus eris.

II. Populi nomine cæteram plebem intelligimus. Populus ſine Rege impotēs, ut Rex ſine populo: Dux ſine exercitu: & iſtud alterum Regni tuendi in ſtrumentum.

Populos tollunt & ſubducunt Regibus per bella civilia mota in quibus ſtrenuiſſimi quiq; militum occumbunt, & libertatis publicæ vindices acerrimi. Quidni & in poſterum devictos populos barbaro ferro demetant & ad unũ obtruncent obvios omnes inermes, inſontes viros fœminas, ſenes pueros aut fraude politica per ſupplicia afflictis criminibus Regna & Imperia depopulentur, ſicut Hiſpani in Belgio & India nõ ita pridem religioſiſſime factitabant. Et iſta ex prudentiæ humanæ inhumânis pluſquam ferinis legîbus. Poteſtis Mortales hæc ſine horrore in animis voluere, aut de poſtero non vobiſmet, non liberis, non uxoribus metuere? nõ iamiam trepidare? Ieſuitæ ut Hiſpanis prudentiores, ſic iiſdem crudelibus longe crudeliores & iniquiores: ora fœminarum ſed dentes ferarum. Preter ferrum ſunt & aliæ depopulatrices artes. Ieſuitæ venefici eximii meditata venena varia & peſtilentiſſima in copia iam parata, iam in manu habent quibus aerem, ubi conſultum fuerit, quibus aquas inficiant pluſquam Iudaico ſcelere, quibus limina & poſtes privatarum ædium ac publicarum, quæque in foro aut macello alimenta vænundantur. Proſpicite veſtræ ſaluti, mortales, & hos veneficos occupate.

Virtutem adimunt ut inutiles ſint & ignavi. *1.* Introducto vafris artibus luxu & omni genere vitiorũ corruptis ante omnes Principib,

& magi-

& magiſtratu reliquo, ab uxoribus inchoando medio Confeſſionis, & liberis, medio Inſtitutionis: procedendo ad viros, ad patres, medio uxorum & aulicorum corruptorum; &c. 2. Introducta animorum diſſenſione; qua arte tantum proficiunt, ut Regna, ut Imperia quæque potentiſſima propriis debellentur viribus, & ſibi non Ieſuitis hoſtibus noceant quorum Monarchiam promovent. Diſcordiam autem ſeminant, fovent, augent vel politicam vel eccleſiaſticam. Politicam per Conſiliarios ſtipendiarios. 1. Civilem inter eiuſdem Civitatis, Provinciæ, Regni, aut Imperii incolas plebeios, porceres. Ita nuper Galliam per media plura interpoſita & varias technas in plures diviſere factiones; & animos bellicoſos in mutuas cædes inflammavere: ita nuper Poloniam: ita nunc Angliam tacite ad ſeditiones cient. Auditis Angli? 2. Exteram inter diverſæ Gentis homines: ut nunc inter Polonos & cæteros Septentrion: inter Daniæ Regem & Civitates Alſaticas. Inter Venetos & Ferdinandum. Tartaros nuper fraudulentiſſime in Polonos effudere. Turcas brevi immiſſuri ſunt in Chriſtianos. Papalium artium recordemur. Hæc artium priſcarum prima fuit totius & ipſius Chriſtiani orbis turbatio & populorum aliorum in alios concitatio. Ieſuitæ ſi ſpectes iiſdem prorſus artibus utuntur niſi quod alieno periculo & uſu, necnõ

proprio

proprio ingenio& meditatione ſapientiores ef-fecti priſcis artibus novas adiiciant, & ob no-vitatem nocentiores. Atque ita Diaboli iſti in-carnati, Angeli deſtructores in exitium Mundi hoc extremo ſęculo de puteo abyſſi prodeuntes terram igni miſcent, & ſupremum diem ſupre-mo ſuo ſcelere provocant. ECCLESIASTI-CAM per Paſtores ſtipendiarios huius atque il-lius Religionis, irreligioſos (notate) avaros am-bitioſos; Sed eruditos atque ſubtiles in eum fi-nem corruptos ut zizaniam ſerant in agro Do-mini. Et plurimi in Germania, Belgio, Polonia tales nebulones qui ad novas duntaxat contro-verſias attenti novas ſectas & ſchiſmata perni-cioſa pariunt : aut iam enata fovent, tuentur, promovent, & animos plebis vnius in alteram ſeditioſis & Diabolicis concionibus accendũt. Ferrum ſtringite in iſtos Chriſtiani non paſto-res ſed lupos; nec Deum expectate vindicem, quem nec ipſi expectant nullum colentes. Ve-ritas odium parit: pariat. Cœlum ruat, ſtamus intrepidi.

Convertunt immediate medio ſuperſtitio-nis, aut alterius paſſionis, mediate medio Regis aut Principis converſi & transformati. Capite afflicto male habet & corpus.

III. ARMORVM nomine intelligimus quæcumque ad bellum gerendum proprie fa-ciunt deffenſive offenſive. Vt arces, oppida

munita, inſtrumenta bellica maiora minora, &c. Et hæc ad vim externam aggreſſoriam qualis Ieſuitica, ad monarchiam uſurpandam illatam, repellendam omnino neceſſaria.

Tollunt Arma Ieſuitæ populorum quorum libertati inhiant armorum Hiſpanicorum medio Civitates & Regna bellico modo expugnãtium aſtu adiuncto Callide admodum: *Ita* Monachi pauci, imbelles, inermes ſolo aſtu valentes pugnantes *Imperatorum* Regumq; bellicoſiſſimorum validiſſimis exercitibus & munitiſſimis oppidis circumcinctorum ſuperbientium potentiam frangunt.

Inutilia efficiunt civitates munitas, adeoque totam provinciam in metu continentes ſuarum Arcium munitiorum & validiorum medio; Collegiorum, inquam, quæ ut ſupradiximus nũquam non in munitiſſimarum Vrbium loco editiſſimo, vel commodiſſimo, vel prope muros extructa prominent: & intus optime tormentis ſive machinis bellicis maioribus minoribus, & copioſo pyrio pulvere, & aliis inſtrumentis bellicis inſtructa neſciente plebe, neſcientibus, vel conniventibus conſpectioribus ex populo pecoribus, ſuæ ruinæ ac ſervituti pluſquam pecuina ſtupiditate faventibus.

Convertũt, aſtu, pecunia, ſuperſtitione, mediate vel immediate Rege, Senatu, populove converſo & ipſi exercitus & Arces & oppida, &

belli

belli apparatus totus regionis illius una Ieſuitis accedit. Cedant arma togæ.

IV. PECUNIA inſtrumentum vniuerſale potentiſſimum, ſine quo nec bellica nec pacifica ulla negotia apte geruntur: nervus belli ad repellendum hoſtem neceſſario gerendi neceſſarius.

Tollunt Ieſuitæ ſubducuntque Regibus & Populis ex induſtria pecuniam publicam, vel per nova tributa extorquēdam introductis aſtu imperceptibili prodigalitatibus, nummorumque ad varia opera minus pro tempore utilia diſſipationibus *les Carouſelles de Paris*. Item damnoſis & Laſcivis liberalitatibus vel erga Aulicos plus æquo amatos, &c. vel ergà Societatem & factionem Hiſpanicam bello prætextu. Et hic modus hoſtibus gratiſſimus: nam quod noſtris decedit ipſis accedit. Et his artibus Regni potentiam comminuunt, vt ſuperveniēnti Hiſpano militi reſiſtere nequeat, aut pro more gētis & temporis neceſſitate potentiam Hiſpanicam quotidie invaleſcentem retundere, aut ſuā promovere: Accedūt bella civilia in eū quoque finem callide ſuſcitata, ut pecuniæ reliquæ Regni exhauriantur, & depauperetur ipſe populus neglecta agricultura, mercatura, &c. Pecuniarū quinetiam privatarum dilapidationem callide invehunt, ut per vxorum & liberorum ad luxū inſtigationem, aut aliis occultis artibus, ut pri-

vati deſtituti opibus præſertim Præſides, Conſiliarii, Prætores, Aulici, &c. cogantur ob vile Lucellum Ieſuitis corpora & animas mancipare: atque ita exiguo ſtipendio oblato meliores quoſque ex noſtris Viros ob Prudentiam & Auctoritatem potentiſſima inſtrumenta Reipubl. cum pecunia ſurripiunt.

Inutilis pecunia fieri nequit: ſemper eſt & ubique utilis.

Conuertunt medio ſuperſtitionis cum ſupradicto modo emungunt pecunias publicas & priuatas ad fundationes & ornamenta, inquiunt, templorum & Collegiorum, &c.

TALIA igitur Ieſuitarum Monachorum Monarchiam univerſalem affectantium Media; talis finis; talis natura declarata. Negent, pernegent pro more, ſtat tamen, ſi non conſtat. Si quis ipſorum proceſſus, ab hoc diuerſus hoc ipſo proculdubio ſubtilior & nequior. Horum tamen quæ dixi plurima ſuam rationem habet, & exemplis confirmantur, quæ ſoli hominum impudentiſſimi Ieſuitæ inficiari audeant. Iam nihil ſupereſt niſi ut tam dira in Generis humani perniciem nata monſtra ſuffocentur; ut tam facinoroſi homines hominum nomine & conſortio indigni, tot ſcelerum conſcij, tot malorũ autores, tot malarum, tot execrandarum artiũ execrandi inventores novo aliquo eoque exquiſitiſſimo ſupplicio lente & languide excarnificentur.

nificentur. Gemitus inter torméta extortos audire liceat malorum noſtrorum Solamina. Verba querentia nō liceat: faſcinata his viperis lingua eſt & Spiritus peſtifer. Nolite Mortales ſi vos amatis, nolite hos Rhetotes audire aliud in ore aliud in corde nunquam non habentes, æquivoca locutione, nulli non publicé priuatimq; imponentes, mendaces, audaceſq; in negando diffitédoq; ſcelere & ſubtiles in dicendo & refellendo. De veſtra ſalute imprimis agitur Iudices terræ Principes, Reges, Imperatores, de privata, de publica: de utraque actum eſt ubi primum hos dicentes audiveritis. Indicta causa contemnandi ſunt eloquentes & ingenioſi impoſtores ſi vitam, ſi libertatem veſtram, ſi Rempubl. ſalvam eſſe vultis. Convinci neceſſe eſt: At iſtorum ſcelera minus dubiis indiciis argui ſufficit. Certiſſima & indubitata ſi quæritis non invenietis; iſtos non condemnabitis, neque vos neque Rempub. ſervabitis Impunes iſti dimiſſi in ſceleribus confidentius pergent, ſubtilius peccabunt & cautius. Irritati vos & populos veſtros animoſius aggredientur, pertinacius expugnabunt, crudelius excipient. Vniuerſos tunc pœnitebit, ſed ſero nimis, & ſcrupuloſę æquitatis, & iniquioris clementiæ. Convinci neceſſe eſt. At iam convicti ſunt, Bonorum omnium in hos Regicidas doctores, actores clamore ſublato. Nunc ut pœna convictis iu-

ſta infligatur expendenda ipſorum delicta ſingula (quam horrenda, Deus! quam multa!) quacumque Mundi in parte perpetrata. Conſtituendi in hunc finem homines, ſive centum ſive plures, quibus hoc demandetur muneris ut ſingula totius Orbis Imperia, Regna, Provincias adeant: in ſingulis ſingula Ieſuitarum flagitia & flagitiorum indicia ac teſtimonia perquirant, qualiacumque minima maxima certa incerta diligentes & induſtrii. Collecta omnia lectis Iudicibus bonis ac prudentibus examinanda expendendaque proponenda, &c. Et hoc meum Conſilium eſt paucis ſine arte verbis & qualicumque conceptum ingenio, zelo urgente in publicam Eccleſiæ, Patriæque atque Vniuerſi Generis Humani, privatamque omnium quotquot populis præſident Imperatorum, Regum, ac Principum ſalutem confidentius propoſitum. Quicumque meliora cũ ſciat ea in publicam ſalutem non erogat deſes zoilus pro malo habeatur, inutili & noxio Patriæ atque Eccleſiæ homine, & in talem agatur ut in hoſtem. *M*aleficus & ipſe eſt qui bene cum facere poſſit, non facit, & is pœna dignus & odio. Beneficus & ipſe eſt, qui bene cum facere nequeat, vult tamen & tentat, & hic venia dignus & gratia. Adhæc, Quicumque mortalium, ſimpliciores excipio, Ieſuitis Orbis univerſi hoſtibus vel opere, vel verbo, vel animo fa-

vere

vere deprehendetur, pro tecto Ieſuita habeatur, vel ſtipendiario plectendo, obtruncando.

SALVS ORBIS SVPREMA LEX ESTO.

Polyb. lib. 5 hiſtor.

DVm hæc aguntur & ultro citroq; ad colloquendum commeatur, cepere milites familiarius è caſtris annonæ parandæ gratia in oppidum ventitare, quæ res multis ſæpe iam exitio fuit: vt mihi videatur homo, cum omnium animalium verſutiſsimum habeatur omnium eſſe decipi facillimum. Quot enim caſtra, quot munitiones, quot quantæque Vrbes hoc genere perfidiæ ſunt proditæ? Atque hæc calamitas cum adeo continue, adeoque evidenter multis iam incideꝛit fit tamen neſcio quomodo ut ad huiuſmodi fraudes ſemper rudes ac noui exiſtamus. Cauſa autem huius rei eſt, quod priores caſus à quibus in aliquo eſt offenſum, vt in numerato habeamus, & ad manum operam non ponimus: ſed frumenti quidem & pecuniæ copiam, itemque murorum telorumque fabricas adverſus incerta et inopinata caſuum vexatione magna ſumptuque nobis comparamus: rem vero omnium facillimam, omniumque vbi aliquid adverſi increpuit vtiliſsimam, hanc omnes ſusque deque habemus, Cum præſertim facile queamus honeſto fruen-

tes

tes otio atque oblectatione animi ex hiſtoria & curioſa diligentique rerum ante actarum notitia hanc nobis peritiam atque prudentiam parare.

Non mirum ſi poſteris nobis idem hoc ſæculo vitium, quibus eadem quæ Patribus cauſa peccandi traducta ſupereſt. Ieſuitæ ſi attendamus nullas vel raras nouas fraudes habent: Eadem omnino omnes quas ſuperiorib. ſæculis Papæ, quas Monachi cæteri, quas priores Politici ſive Chriſtiani ſive Gentiles vſurpabant: ut mirum ſit tritas eas & vulgatas, aucta potius quã imminuta virtute noſtri etiam ſæculi hominibus imponere: ut ſtupor fatalis ille videatur quem nec vetera documenta, nec præſentia monita, nec ipſe mali ſenſus excitet.

NVNC ERGO, REGES, ANIMADVERTITE; ERVDITIONEM PERCIPITE, Ô IVDICES TERRÆ.
Pſal. 2. verſ. 10.